






IOSEPHI MARIANI
PARTHENII
E S. I.
EPISTOLAE





ROMAE
EX TYPOGRAPHEO FORENSI
AD FONTEM AQVAE VIRGINIS
ANNO . M . D . CCC . LXIII.



PARTHENII

EPISTOLAE

IOSEPHI MARIANI

PARTHENII

E S. I.

EPISTOLAE











ROMAE

EX TYPOGRAPHEO FORENSI

AD FONTEM AQVAE VIRGINIS

ANNO . M . D . CCC . LXIII.



DEDICATIO

IOSEPHVS . MARIANVS . PARTHENIVS
QVIDQVID . HACTENVS . SCRIPSIT
QVIDQVID . IN . POSTERVM . SCRIBET
TIBI . MARIA . VIRGO . DEIPARA . INSCRIBIT
VT . PER . TE . MEREATVR . SCRIBI
IN . LIBRO . VITAE



TESTIMONIA

VIRORUM ILLUSTRIUM


DE IOSEPHO MARIANO PARTHENIO

E SOC. IESU.

I.

STEPHANI ANTONII MORCELLI E S. I.

In Parergo inscriptionum novissimarum ed. Brix. ann. M . D . CCC . XVIII. pag. 100.



MEMORIAE
IOS. MARIAE . MAZZOLARI
E . SOC . IESV
QVI . ET . PARTHENIVS . MARIANVS
DOMO . PISAVRO
DOCTRINA . ET . SCRIPTIONIS . ELEGANTIA
CLARISSIMI
VIX. ANN. LXXIII . M. II . D. III.
ANTIQVAM . SIMPLICITATEM . SEQVVTVS
QVAM.INNOCENTIA.ET. MIRVS.ERGA.GENETRICEM.DEI
AMOR . ORNABAT
DECESSIT . XVIII . KAL. OCT. ANNO . M . DCC . LXXXVI.
AVE . SENEX . PIENTISSIME
ET . VALE . IN . PACE ☧
SODALES . VETERES . FAC . CVR

II.

IULII CAESARIS CORDARA E S. I.
AD IOSEPHUM MARIANUM PARTHENIUM

Epigramma

Dum sic naturae vestigas abdita vates,
    Ausus inaccessos primus adire sinus,
Magna quidem, ut video, paucis et cognita pandis,
    Talia sed cultis versibus ipse facis.
Me certe hi rapiunt mira virtute trahuntque,
    Sic ut saepe eadem quae modo lecta legam.
Qualis deinde nitor! Non his splendentior ulla,
    Quae de Sauromatum littore gemma venit.
Ludere quin etiam placuit, quo more pusillam
    Implicat interdum succina gutta feram:
Ut me cum video tam claro carmine clausum,
    En, dicam, subito musca revincta gelu.
Atque equidem fierem de laudatore superbus,
    Non nisi at electri lumine musca nitet.

III.

VITI GIOVENAZZII E S. I.
AD LAURENTIUM SANTENIUM
ULTRAIECTENSEM V. C.

De tot carmina millibus legenda
Quae mitto tibi pauca, perpolita

Doctrina hercle homini latine eidem
Scienti optime, et optimo poetae,
Santeni, lege diligenter; ac si
Quae probaveris, illa seorsum habebis;
Quae minus, polias fac ipse, habere
Vel sibi Veneris iube maritum:
Hoc tu non dubito, mihi meoque
Quin sis Parthenio libens daturus
Munus: Parthenio meo, inquam, amice.
Nam seni huic meditor meum libellum,
Testem grati animi meum libellum,
Dono mittere. Is ergo ut eleganti est
Aeque iudicio, atque tu, et polito,
Nec poeta minus bonus, videndum
Ut si non penitus sibi placere
Meo in munere, displicere certe
Possit quam minimum. Ergo age hanc opellam
Ne navare pigreris, oro, utrique;
Quae quidem minimi tibi laboris
Est futura; sed obligabis omne
Hoc eodem tibi me labore in aevum.

IV.

EIUSDEM GIOVENAZZII

Subscribendum imagini

Ios. Mariani Parthenii e S. I.

Quem Cremona parens creavit, hic est
Doctus Parthenius, piusque, nato,

Quo tantum illa superbit uno, ut aeque
De nota meliore nec trecentis :
Pace, Vida, tua, et tua, Faerne.

V.

IOSEPHI MAROTTI E S. I.

AD

IOSEPHUM MARIAM PARTHENIUM

SODALEM SUUM

IN OBITU MATRIS

ELEGIA

Quod petis, ut carae moerentem funere Matris
   Te mea musa aliquo recreet alloquio,
Ut tristem iucundo abstergas carmine luctum,
   Qui tibi cor misere devorat, atque animam;
Devorat, et moestae delibans gaudia mentis
   Sollicitis miseram turbat imaginibus,
Possem utinam! Simili sed quidnam turbine raptus,
   Scribam ego nunc simili pressus et ipse malo?
Nempe etiam nostrae genitrix pars altera vitae,
   Quae mihi praeque oculis cara erat, atque anima;
Quam unam mirabarque, unam et quam totus amabam:
   Illa mihi heu! tristi funere mersa iacet,

Meque simul casu perculsum liquit acerbo,
  Deprehensum medio navitam ut Ionio;
Qui dum pacata tutus maris utitur unda,
  En subito caelum concutitur tonitru,
Eripiuntque diem nubes, ignescit et aether,
  Et tumefacta imis aestuat unda vadis.
Et tamen utriusque interdum facta Parentis
  Sollicita mecum mente ego dum recolo,
Est quo nostram animis possimus demere curam,
  Et nos antiquae reddere laetitiae.
Namque ita commendant pietas et candor utramque,
  Utraque ut eximio Mater honore coli
Debeat, et gentes inter notescere fama,
  Ne decus eximium supprimat ulla dies.
Quod tu, doctrinae quo polles munere, praestas,
  Et Matri scriptis prospicis ipse tuis,
Candoremque, animumque, et vitam puriter actam,
  Tum sanctam ut superis praestitit illa fidem:
Virtutem et scribis tete ut formarit ad omnem,
  Dignus uti simili tu quoque laude fores.
Quod fateor te certe promeruisse diserto
  Iamdudum ingenio, et moribus egregiis.
Quae nisi te irasci mihi fanti vera timerem,
  Haud paterer caecis amplius in tenebris
Obruta nunc nigra noctis caligine condi,
  Virtutem nec tantam abderet una domus.
Sed tua nunc totum vulgarem facta per orbem,
  Tu fieres nostra nobilis historia.
Quamquam haud ista premi patiuntur limite ab arcto,
  Sed loca iam complent nomine cuncta tuo.
Nam velut hiberno Tyrrhenus tempore Tibris,
  Quum tumida assurgit iugiter auctus aqua,

Pacatus tacitis paullatim attollitur undis,
Dum pressus riparum aggere utrinque latet:
At postquam incubuere Noti, tumidumque procella
Amplius haud summo margine ripa premit:
Erumpens ruit ille, undisque frementibus agros,
Et circum valles alluit et nemora;
Talis, quid talis? Multo vehementior illo
Nunc tua iam virtus diditur in populos,
Electrumque tuum, et praestantia munera plectri,
Tum veteris polles quo decus eloquii
Concelebrat, priscisque addit te vatibus, et te
Oratorum aureis coetibus adnumerat.
Quae quum accepta tuae tibi sint referenda Parenti,
Hoc nam illa ad tantum te decus excoluit,
Iussit et ingenuis te te artibus informari,
Te nunc tam duro funere, amice, premi
Amplius haud miror, mirarer sed mage, tanta
Si tacito posses pectore damna pati.
Quae sane quam acri pervellant pectora morsu
Testis ego, atque animi conscius ipse dolor.
Nam carae quoties pietatem mentis et illud,
Quo me ad virtutem omnem excoluit, studium
Mente agito, et nunquam eheu! nunquam te, bona mater,
Te miser heu posthac amplius adspiciam!
Amplius haud te te posthac audire loquentem
Mî dabitur? durum oh, et flebile discidium!
Discidium heu miseris deplorandum lamentis,
Discidium esse mihi quo pote nil gravius.
Quare ego Musarum tibi si, Pater optime, foetus
Quos me iterum poscis, mittere nunc renuo;
Non id mî ingrate fieri, nec mente maligna
Posse puta, aut animo non satis ingenuo:

Omnia quippe adimens luctus mihi gaudia, blandae
   Haud sinit assuetae tangere fila lyrae.
Quae nisi nunc aliquis superum me adiuverit, atque hanc,
   Qua perimor, tantam pellat amaritiem,
Fors (Divi avertant) aut semper muta silebit,
   Aut flebit moesto funera nostra sono.

VI.

ANGELI FABRONII

In Vitis Italorum doctrina excellentium qui saeculo XVIII floruerunt Decade III. Romae MDCCLXX. Typis S. Michaelis apud Iunchium.

IOSEPHO MARIANO PARTHENIO

ANGELUS FABRONIUS S.

Miraberis certe quod ego scribendum susceperim de Bernardino Perfectio, postquam tu illius vitam, et copiosissime, et elegantissime tuo more explicasti. Non potui id negare litteratis quibusdam Senensibus, qui a me non tam postulare, quam exigere pro iure nostrae amicitiae videbantur, ut Perfectium in societatem vocarem illustrium virorum, qui Decadas meas exornare debent. Plurimum se gaudere dicebant, quod tu de admirando illo poeta Italice scripsisses; se non solum sperare, sed etiam confidere te de eodem plura Latine prolaturum; optare tamen, ut in idem opus ego quoque et studium, et diligentiam conferrem. Equidem in-

vitus suscepi huiusmodi onus, cum tecum posse ullo modo contendere desperarem. Quid enim unquam in lucem emisisti, quod in suo genere perfectum non esset? Quae verborum elegantia! qui delectus, nitor, ac splendor! Qui orationis ductus, ornatus, et copia! Quam nihil non venustum, nihil non limatum, nihil non acri studio iudicioque perpolitum! Atque hoc etiam mirabilius est, quod tibi non minus in numeris adstricta quam in soluta oratione excellere contigit, quod quam rarum sit, omnes ii norunt, qui utrumque scriptionis genus tentarunt. Ego vero et aetate, et ingenio, et exercitatione longe tui dissimilis, quî sperare possum aliquid me elaboraturum, quod scriptorum tuorum comparationem sustineat? Hanc excusationis causam attuli Senensibus, ne tecum conferrer; ac plures etiam collegissem ni veritus fuissem crimen arrogantiae subire, quod me iudicio cuiusquam existimarem tecum posse comparari. Cessi ergo illorum voluntati non sine spe adiumenta et subsidia ad opus perficiendum a te obtinendi; quam spem quod non passus fueris decipi, maximas tibi gratias ago, agamque dum vivam. Vale.

Romae VIII. Kal. sept. an. MDCCLXX.

VII.

HIERONYMI LAGOMARSINII E SOC. IESU

Patris Iosephi Maria Mazzolarii *Electricorum* libros sex vidi ac diligenter expendi: eosque ita probavi,

ut nullum mihi philosophicum poema aeque omni ex parte excellens atque absolutum in lucem ad hanc diem prodiisse, aut maiori cum approbatione in manus hominum eruditorum venturum esse videatur. Ita censeo in Collegio Romano XIII. Kalen. dec. 1766.

Hieronymus Lagomarsinius S. I.



LIBER PRIMUS





Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano Fratri Carissimo S. P. D.

I. Non dubito, quin pro mutuo amore nostro et fraterna caritate certior a me fieri velis, quomodo me nunc habeam, quid agam, ubi degam, quem portum in proximo, quod passi uterque sumus, naufragio apprehenderim. Dicam equidem, carissime Frater, et distincte et accurate dicam. Primum est cur maximas Deo ac Deiparae Virgini gratias agam, quod tanta calamitas me prorsus non fregerit atque exanimaverit; deinde quod mihi portus non defuerit, quo me e turbulentissima tempestate reciperem atque ubi plane conquiescerem. Multa ab ipso e Collegio Romano egressu hospitia mihi patuerunt; multi domum suam peramanter invitarunt, grati nimirum videri et pro impensa in eorum liberis instituendis cura gratiam aliquam referre cupientes. Sed e multis tale mihi hospitium obtigit, quale neque iucundius potuit, neque opportunius obvenire. Si patrem me nactum esse dicam, dicam id quod est, et quod Deiparae Virgini omnino acceptum referri volo. Neque enim in summa rerum omnium perturbatione, consiliorum inopia, acerbitate temporum tanta mihi esse oblata sine divino munere oppórtunitas poterat. Itaque ibi sum, ubi esse perpetuo velim, ubi omnia arrident, omnia ingenio meo accommodata, et quod caput est, omnia sunt ad christianam disciplinam exacta atque composita. Paterfamilias est Clemens Orlandus, inter architectos Romanos excellens, homo lautus ac splendidus, sed quem sua maxime pietas ac religio commendant; benevolentia vero in Societatem nostram eximia ac plane sin-

gulari. Familiam totam sic regit ac moderatur, omnes ut eum unum observent, ab eiusque nutu pendeant. In primis ego senex senem valde revereor, ut mihi quidem videar adhuc sub nostrorum seniorum vivere disciplina. Quae res tantum abest ut molesta, mihi ut etiam sit iucundissima. Hoc ego utor hospite, quo certe nec humaniore, nec mei amantiore uti possum. Si affirmem me ab eo amari, diligi, observari, coli, et si qua sunt alia vocabula ad exprimendam, declarandamque benevolentiam idonea, minus eum certe, quam debeam, praedicem. Comprehendam paucis; quae a patre in filium proficisci officia possunt, ea in me ab eo proficiscuntur omnia, ut mihi quidem nihil optandum praeterea expetendumque sit. Si vero ipsam quam incolo aedem spectes, haec est ad habitandum percommoda, perque iucunda. Sita est in clivo Quirinali, via Pontificia, ascensu fere medio, palatio nobilis familiae Molariae coniuncta, atque adeo eiusdem palatii pars dirempta et conducentibus attributa. Aer saluberrimus, quem ipsi Pontifices, qui in summa collis planitie habitant, secuti sunt. Ipsa vero domus cum maxime ad incolendum, ut dixi, commoda, tum etiam eleganter ac magnifice instructa, insignibus ornata tabulis, ut quivis princeps vir excipi cum dignitate possit. Mensa lauta, mihi vero, qui parce vescor ac modice, lautissima. Cultus omnis exquisitus, et summa in omnibus mundities, quae totam domum ornat atque distinguit. Cubiculum tale mihi obtigit, quale ne in mentem quidem optare unquam venisset, elegans, nitidum, angustum quidem, sed ad meum ingenium plane dimensum; quod vero mihi magis probatur, secretum prorsus a reliquis, in editiori parte domus locatum, ab omnique strepitu remotum. Non praetereuntium clamores inconditi exaudiuntur, non curruum ac rotarum stridor aures ferit; silentium summum, solitudo summa. Amoenissimus subest hortus, aureis

malis consitus, et omni anni tempore vernans. Cantus avicularum primo mane dormitantem excitat et ad matutinas Deo persolvendas laudes invitat. Fenestra patens, et iucundissimus e fenestra prospectus sic, ut vel ad pluteum sedens, vel in ipso leetulo cubans obiectarum arborum aspectu, amoenissima quadam veluti proposita scena, mirum in modum delecter. Itaque locus omnino idoneus, immo vero factus ad scribendum, ad commentandum, ad sibique remotis arbitris interpellatoribusque vivendum. Proxima est bibliotheca satis instructa, quae quidem in tanta librorum iactura, quantam passi sumus, quamque satis deplorare non possumus, nonnihil instrumenti, si quid litteris mandare velis, suppeditat. Quod vero inter commoda, quae enumeravi, praecipuum duco, patet aditus ad sacras Basilicas, quas multo crebrius, quam antea, oblato hoc nobis invitissimis odiosissimo otio, celebrare soleo, pronus ac facilis. Vix parte clivi superata, aequa planities, viae directae minimeque lutulentae; liber excursus ad Exquilinam, ad Lateranensem, ad Sessorianam Basilicas; inde extra urbem ad agrum Veranum Stephani ac Laurentii sepulcro nobilem. Regressum in Urbem ipsa te via prope recta ducit ad Sanctae Mariae Angelorum in thermis Diocletiani, et parvo flexu ad S. Agnetem via Nomentana, cui viae coniunctae sunt ambae Salariae Ss. Martyrum coemeteriis ac monumentis illustres. Prope sola Ss. Petri in Vaticano et Pauli via Ostiensi, nec non Sebastiani via Appia augusta templa devia sunt longeque constituta; sed quae tamen identidem adire possis, si quando longius digredi ambulationis valetudinisque causa velis. Mitto reliqua templa, ipsa quoque habita inter sacratiora et vetustiora, ut S. Pudentianae in vico Patritio, S. Praxedis in thermis Novati, S. Silvestri in thermis Titi, S. Bibianae in regione Tauri, S. Petri ad Vincula, quae prope ante pedes posita sunt. Quamquam ne domo qui-

dem egredi necesse habeo, ut religionis officiis satisfaciam, quandoquidem domi exstat sacrarium ad rem divinam faciendam instructissimum, plurimisque Sanctorum reliquiis insigniter ditatum, ut, si aut pluvia, aut vento pedem efferre domo prohibearis, Basilicarum propemodum instar esse possit. Hoc in sacrario quotidie Missam celebro nisi forte ad sacra Martyrum monumenta me religio invitet, meque eo nocturnis praesertim horis recipio. Hoc item in sacrarium familia tota ante coenam cogitur ad orandum. Sacra supellex munda et concinna; solemnioribus vero diebus multo elegantior et apparatus exquisitior. Inter solemniores numerantur sacri Deiparae Virgini dies, nec non Ss. Michaeli Archangelo, Ignatio, et Aloisio familiae patronis. Exposita est ad venerandum Deiparae vetus imago ex antiquis parietinis decisa, laminisque votivis argenteis ornata, quam ego quidem *Hospitam* appello, propterea quia ab ea hoc mihi oblatum fuisse hospitium dubitare nullo modo possum. Nullus dies abit, quin aliquo peculiari obsequio divinam Matrem domestici prosequantur, nec quidquam omittitur quod ad eius patrocinium conciliandum, promerendamque gratiam pertineat. Quid multa? omnia hic, ut ab initio dixi, ad christianam disciplinam composita, meo autem ingenio accommodata sic, ut neque ad animi tranquillitatem, neque ad retinendam institutam iampridem vitae meae rationem quidquam mihi desit. Vivo igitur mihi, et vel domesticorum, ipsis non abnuentibus, nec sequiorem in partem interpretantibus, consortium fugio et colloquia vito. Nemo me fere extra cubiculum videt, praeter mensae accubationem et communem in sacrarium congressum. Cubiculo meo clausus aut scribo, aut lego, aut dicto. Si accuratiorem vitae meae descriptionem nosse vis, haec est. Mane surgo, oro, sacrum facio; peracto sacro et gratiis de more actis cubiculum repeto, consueta me potione recreo, deinde vel, ut dixi, scribo,

vel dicto, utraque usus lingua, sed multo libentius latina. Ante prandium breviores horae canonicae et nobis indicta conscientiae discussio. A prandio, si coeli tempestas patitur, domo ad Sacras Basilicas prodeo; si secus, domi me contineo, lego, vel aliquid manibus ipse meis molior, mecum illud Apostoli reputans, *ipsi scitis quoniam ad ea, quae mihi opus erant ministraverunt manus istae.* Nocturnas horas, quas prolixiores molestioresque experior, orando, legendove, ut possum, extraho. Generatim atque universe eam mihi constitui legem, quae me intra instituti mei fines coerceat, nec eos facile transilire patiatur. Habes epistolam satis longam et fortasse verbosam, sed quae nihil reticeat, quod scire te velle arbitrabar; qua de causa confido fore tibi non iniucundam. Verum etsi tot tantisque, quot demonstravi, commodis abundem, scito tamen me antiquum respectare domicilium, carissimosque sodales requirere, et quae tolerabam incommoda, his omnibus quibus affluo commodis anteferre. Usque adeo, divina aspirante gratia, qua ad Societatem Iesu illecti fuimus, nihil adeo grave erat, quod leve nobis non videretur. Sed non tam cedendum tempori fuit, quam Deo, qui temporum vices moderatur, obsequendum. Nos interim ad meliora, quae spero consecutura, reservemus. Ego vero nunc exspecto, dum tu me vicissim de rebus tuis aeque dilucide ac distincte doceas. Nulla enim mihi dubitatio est, quin tu quoque ista in urbe, in qua iamdiu commoraris, cuique tuam operam multos annos et impendisti et probasti, benevolos hospites et tui amantes nactus sis. Vale et Deiparae Virgini utriusque nostrum Matri suavissimae etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Leonardo Cianio S. P. D.

II. Tarditatem meam non excuso, immo vero ingenue accuso. Mea enim negligentia factum est, ut humanissimae epistolae tuae statim non responderim. Quamquam negligentiam hanc meam excusare si vellem, fortasse possem. Verumtamen accuso me et hanc culpam non deprecor, sed a te viro humanissimo veniam precor. Quod tecum Roma proficiscens secundum orationum mearum volumen extuleris, maximopere laetor: si hoc a me beneficii loco postulasses, certe non impetrasses; non quia pro tua erga me singulari benevolentia dignus non esses qui impetrares, sed quia mihi liberum non erat amico roganti hac in re satisfacere. Et sane quamquam meorum impressio voluminum absoluta iam sit, ea tamen ita clausa et compressa apud me teneo, ut emanare ac foras prodire non patiar. Nolo me publico his praesertim temporibus tam Societati nostrae infensis committere. Exspecto dum tanta tempestas aliquantum detumescat; tum vero iis sine periculo prodeundi potestas fiet. Confido enim fore, ut tranquillitas consequatur, et Deus tandem aliquando respiciat Societatem suam eamque in pristinum statum, atque adeo multo florentiorem restituat. Quandoquidem igitur tibi uni contigit volumen alterum orationum mearum habere, quod illud legas, probo; quod vero sic laudes, ut auctorem ipsi prope aequare Ciceroni non dubites, probare omnino non possum. Quam longe a tanto viro absim, agnosco ac plane sentio. Si quid tamen in me est, quod aliqua laude dignari posse videatur, scito totum, quale quantumque est, a lectione ciceroniana esse profectum. Quare prae reliquis paraeneticam illam de ciceroniana lectione orationem ut legas tibi maximopere auctor sum, in quam quidquid de optimo bene dicendi artifice sentirem, contuli. Et vero multa reperies, quae te inflammare ad summi illius viri imitationem possint. Verum

si orationes meas attentius legeris, tantum aberit, ut me non meritis laudibus extollas, ut etiam legenti multa occurrant, quae te offendant, et iure reprehendas. Me quoque multa offendunt; multo plura plane non satisfaciunt. Temporis angustiae ad opus absolvendum praefiniti, gravissima impendens procella, tristissimi nuncii de supremo Societatis exitio, qui undique ferebantur, omne pene consilium misero auctori de se magis, quam de opere suo cogitanti eripuerunt. His de causis, primum volumen Actionum, et alterum Orationum libenter *recuderem*, si impressoris adesset copia, qui novam editionem sumptu suo, nullo meo emolumento, susciperet. Mea cura tantum foret, ut haec editio auctior evaderet atque emendatior. Mitterem exemplaria castigatissime correcta, multa adderem, multa demerem, quibus sive additis, sive demptis, toti operi perfectio quaedam accederet atque absolutio. Hoc in Italia prope desperandum est, in qua quod pudet dicere, latinae litterae pene iacent, quibusque in dies maius exitium imminet, iis de medio remotis, qui earum dignitatem, utcumque poterant, tuebantur. Multo secus in Germania, in qua si latina lingua non floret, usurpatur tamen et vulgo nota est. Quamobrem si Viennae, aut Tridenti typographum reperire posses, qui hoc negotium suscipere vellet, rem mihi gratissimam faceres. Confisus amore erga me tuo et vero etiam, quam de mea qualicumque doctrina habes opinione, spero fore, ut res e sententia succedat. Qua de re, obsecro, ut ad me quamprimum scribas. Sed haec hactenus. Quod ad novum hunc rerum statum, sive potius perturbationem attinet, est profecto cur de communi magis, quam de privata calamitate conquerar. Utor hospite et mei et Societatis amantissimo, a quo tanta in me beneficia proficiscuntur, quanta, si parentes ipsi mei, quos iam composui, viverent. Hoc debeo singulari Deiparae Virginis patrocinio. Ipsa enim Romae degere, et hic extremum diem

claudere cupienti tam opportunum hospitium obtulit. Ut mihi tres patuerunt in Italia urbes Pisaurum, Aesium, Cremona, in quibus commode diversari potuissem, Romam omnibus antetuli, non quo haec urbs me splendore ac magnificentia sua capiat, sed quia hac in urbe, quod nusquam gentium, plurima Sanctorum monumenta sunt, quae adire libet ac venerari, atque ita aegritudinem meam, donec eorum numero post obitum adscribi merear, suo hoc solatio lenire. Romae igitur dego, et quoad vita suppeditabit, ab hac urbe non discedam, praesertim vero cum ex omnibus sociis proximo infortunio distractis atque aliis alio dilapsis, nemo fortasse sit, qui amantius, et vero etiam lautius exceptus tranquilliorem agere vitam possit. Tu vero interea fac ut mei memor sis; ego quidem tui semper meminero. Exspecto cupidissime responsionem tuam; meam noli imitari in respondendo negligentiam; quae vitiosa sunt, reprehendenda, non ad imitandum proponenda. Omnibus quorum longam seriem epistolae tuae adscripsisti, tuo nomine salutem dixi, qui te vicissim amantissime salutant. In primis ego te salvere iubeo, et amplector; oroque ut me Deiparae non frequenter magis quam enixe commendes. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Annibali Oliverio Patricio Pisaurensi V. C. S. P. D.

III. Qui sim, qui ad te scribo, vir clarissime et doctissime, ex litteris Isabellae Molariae cognosces. Nobilissima enim femina pro singulari, qua me prosequitur, benevolentia, officium apud te suum peramanter obtulit et vero etiam ultro recepit, te nihil quod opera tua effici possit, novo hoc in vitae genere, quod amplecti coactus sum, mea causa non effecturum. Verum ex tuis litteris ad eam proxime datis intellexi, te quidem negotium li-

benter suscepisse, sed non ante quidquam aggrediendum putasse, quam mea tibi prorsus explorata voluntas esset, quod cum summae prudentiae fuit, tum mihi gratissimum accidit. Explicabo igitur sententiam meam, et quae mihi a te praestari officia velim paulo fusius exponam. Certum in primis mihi est ab hac urbe, in qua tot annos optime et constanti usus valetudine commoratus sum, non discedere, et Romae vivere, et Romae emori. Multa sunt, quae me hic affixum tenent, et mirum in modum delectant; amici, sodales, quos impense diligo, mite coelum homini senescenti valde accommodatum, non intercisa prope triginta annorum commoratio, officia pene innumerabilia, quibus ab omni ordine prosequor. Super omnia me sacra sic alligant monumenta, ut ab iis divelli, neque vivus, neque mortuus pati possim. His accedit, quod diversor apud hospitem, qui me a carissimae matris gremio abstractum tanquam pater suum in sinum et humanissime invitavit et amantissime excepit, ut neque lautius excipi, neque amantius foveri possim, neque vero, ut hoc etiam addam, observari diligentius ac propemodum coli. His de causis cum mihi hic constitutum iam deliberatumque sit reliquos vitae meae dies Romae transigere, vellem, ut a fratre mihi hic pensitaretur, quo honeste, et satis commode vivere possim, vergente praesertim atque adeo inclinata iam in senium aetate. *Multa*, inquit ille, *ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt*. His multis ademptis, multa, quibus haec aetas sustentetur, postulat; multo plura imminentes morbi, qui ab aetate seiungi non possunt, requirunt. Neque vero est, cur frater abnuat fratri natu maximo hac in re morem gerere, et tuae parere repugnet auctoritati. Obiiciet fortasse sumptuosum, quod aggressus est, aedificium nondum perfectum atque absolutum. Sed non video, cum iam satis habeat ad commode, atque adeo magnifice habitandum, quare illud meo gravi cum incom-

modo exaedificare velit atque perficere. Quid aliud obiicere praeterea possit, divinare non queo, sed quaecumque obiecta erunt, si ea mihi significaveris, facile refellentur. Altera res est, quae me vehementer angit, et tanquam spina quaedam animo infixa haeret, quae per te si evellatur, magnam mihi sollicitudinem adimes. Non parum aeris alieni meorum voluminum edendorum causa contractum a me fuit, quod qua illud ratione dissolvam, nisi frater subsidio adsit, prorsus ignoro. Id autem mea culpa non accidit. Dilapsis enim proximo infortunio, et vero etiam in vincula coniectis, qui se volumina empturos mea receperant, solus relictus sum aeris alieni circumsessus angustiis. Possem equidem vendendis voluminibus, quorum absoluta iam impressio est, aliquantum pecuniae contrahere, qua nonnihil sublevarer; sed nolo me temporibus tam Societati nostrae infestis committere. Nam quid facilius quam scribenti aliquid exciderit, quod obtrectatoribus omnia circumspicientibus, et in omnem nocendi partem imminentibus calumniandi causam praebeat? Ego sane in scribendo ita stilum semper continui, et mihimet ipse moderatus sum, ut nemini iusta offensionis causa daretur. Verum in tanta obtrectatorum multitudine quis me tutum praestare possit? Multa sunt, quae tametsi recte scripta sint, in sequiorem tamen detorqueri partem facile possunt, unde non molestia solum, sed periculum scriptori creetur. Itaque si per te pecunia cum typographo pacta a fratre repraesentabitur, magnum certe quiddam efficies, et maxima me cura liberabis. Haec sunt, quae a te etiam atque etiam rogo, et confido fore, ut auctoritate tua tantum valeas, ut nihil non sis a fratre impetraturus. Quis enim te ista in urbe aut nobilitate illustrior, aut sapientia praestantior, aut omni laudum genere cumulatior? Patria tibi tua tantum debet, quantum fortasse nemini, quam et re et consilio plurimum adiuvisti; doctrina vero et ingenio tantam ei dignitatem conciliasti, ut civem neque sui aman-

tiorem, neque qui maius ornamentum ei ac decus attulerit, ad hoc usque tempus nacta sit neminem. Ego vero interea maximas tibi gratias et ago et habeo pro tua mihi tam prolixe oblata voluntate, qua te negotium hoc meum curaturum recepisti; neque mihi quidquam erit antiquius, quam ut aliquam gratiam viro perinde de meis ac de suis commodis laboranti referam. Isabella Molaria eo, quo est, loco dignissima femina tibi plurimam salutem impertit, et rectissime valet. Eius ego consiliis utor, in eaque expressam antiquae probitatis effigiem et agnosco et admiror. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Annibali Oliverio Patricio Pisaurensi V. C. S. P. D.

IV. Quod latinam epistolam meam ad te proxime scriptam elegantissimam dicis, perbenevole facis. Mecum equidem praeclare actum existimassem, si eam satis elegantem appellasses. Atque in hoc quidem cum tuam benevolentiam amplector, tum iudicium a tanto viro profectum repudiare omnino non possum. Tu vero recte tuo es usus arbitrio, qui mihi italico sermone rescripseris; neque enim ego latine scribens latinam a te elicere epistolam volui, et tantum virum ad latine scribendum quodammodo provocare. Quam probe latine scias, iam mihi pridem ex editis operibus tuis perspectum erat, in quibus rerum recondita cognitio certat cum elegantia sermonis. Ego vero, quod quidem latine institui ad te scribere, idem pergam tenere institutum, mihique inde solatium aliquod in odiosa hac munerum, quibus assueveram, vacatione conquiram. Ac primum maximopere laetor a te probari consilium meum a romana statione non discedendi; quamquam non omittis me Pisaurum peramanter invitare, et ea addis, quae cum ad me ornandum sunt valde honorifica, tum ad alliciendum vehementer idonea. Facerem equidem libenter, ut hac in re

tibi obsequerer, quo et summi viri consuetudine frui possem, et sapientia erudiri; sed quae me vincula Romae tenent, una, ut scripsi, morte dissolvi possunt. Quare ignosces, opinor, si tantam benevolentiam non asperner quidem, sed minus ei obsecundandum putem. Illud vero tibi persuadeas velim, me, etsi disiunctum corpore, semper tamen grato et memori animo tibi coniunctissimum fore. Progredior nunc ad alteram humanissimae epistolae tuae partem, in qua postulationis meae aequitatem agnoscis et moderationem laudas. Vides enim planeque perspicis aequum esse, ut mihi consulam, et senectuti prospiciam, qua etsi hactenus commoda usus sum, summum tamen ipsa per se incommodum est, a quo non minima ex parte per te vindicabor, si perfeceris, ut causa haec mea aequitate sua, et auctoritate tua diiudicetur. Quod vero mihi auctor es, ut ab omni litis contentione abstineam, accipio et amplector consilium, atque hac ipsa de causa auctoritatem tuam adhibendam duxi. A forensibus concertationibus cum ingenio, tum instituto meo vehementer abhorreo. Si mihi multum antea, nunc certe Societatis Iesu existimatio, quam tot adversis minime imminutam puto, vel maxime cordi est; nec mihi quidquam nunc magis cavendum intelligo, quam ut ne vetus calumnia de divitiarum cupiditate per me instauretur. Non feneratores, sed alii quidam, *scrutati sunt omnem substantiam eius,* neque, ut ferebatur, copiosa et affluens inventa est, sed curta admodum, et angusta, ut nobis vix pensitetur, quo utamur et sustentemur. Sed tamen optimum duco, ita me gerere, ut ne minima quidem obtrectatoribus calumniandi occasio detur. Quamquam mihi non tam fugiendam forensem concertationem video, quam fratris vitandam offensionem. Qua de causa sic postulationem meam attemperavi, ut mihi suppetat, quantum satis sit, et nihil amplius. Si familia inopia laboraret, et frater caterva filiorum stipatus esset, ab omni postulatione

supersedissem. Verum cum optime constituta sit, et unicus lauti patrimonii haeres adsit, aequum videtur mihi minimam paternorum bonorum portionem assignari. Ego, ut ingenue fatear, paupertatem amo, quam editis solemnibus in Societate Iesu votis professus sum; sed si quid reliqui et paupertatis amor, et mea mihi parsimonia fecerit, nolo id fratri non indigenti condonare, sed vel egenis impertire, vel certe pios in usus impendere. Ignosco equidem fratri, ad quem gravissimae huius calamitatis pars aliqua pervenire necessario debuit; sed puto multo mihi ignoscendum magis, in quem totus eius impetus sic effusus est, ut nisi succurratur aliunde, omnino succumbendum infortunio sit. Quare te etiam atque etiam rogo, ut apud eum auctoritatem interponas tuam, ut omnia, salva caritate, qua nihil homini christiano et religioso potius esse debet, transigantur. Ego vero nunquam instituti mei obliviscar, neque quoad vivam, oblivisci potero. Quod professus sum, quantum in me est, et teneo et profiteor, ne videar *mentitus esse non hominibus sed Deo.* Assentior perscriptis iam hac de re gravissimorum theologorum auctoritatibus, et libenter subscribo illis ipsis theologis, qui ab interdicti latore consulti sunt, quorum sententia fuit; solemnem editam professionem ne a Pontifice quidem cassam et irritam reddi posse. Isabella Molaria, se in Coranum suum contulit, ubi eam opinor recte valere; cum redierit, plurimam ei tuo nomine salutem dicam. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Petro Codelio
Libero Baroni de Shanersaldio S. P. D.

V. Latine respondebo, quandoquidem me tibi respondere latine vis. Mallem tu quoque latine scripsisses; quod si a te factum esset, aequior videretur postulatio tua. Quamquam Germanum italice scribentem, et in peregrina

se lingua exercentem , quae magno ei postea usui futura sit , reprehendere non possum. Quod enixe a me alterum et tertium meorum operum volumen flagitas , id perbenevole facis; quod dicis te vehementer cupere utrumque legere, id est huiusmodi, ut pene omnem tuae erga me benevolentiae modum superet. Quid enim est meis in operibus, quod te magnopere ad legendum alliciat ? Nisi quidam fortasse ciceronianus color, quem meis scriptis allinere conatus sum. Utinam nervos, succum, et sanguinem, et ipsum tullianum in scribendo assequi spiritum potuissem. Verum ut *impatientia* quaedam, quemadmodum scribis, te ad legendum exstimulet, hanc tantisper comprimas necesse est; idque non meae erga te parum benevolae voluntati tribuas, sed adversis temporibus adscribas. Consulto posteriora duo volumina ita contineo depressa in tenebris ut lucem aspicere omnino non sinam. Exspecto tranquilliora tempora , quae si Deo volente consequentur, tum liberius prodibunt in lucem et tutius evulgabuntur. Hoc autem spero fore ante tuum in Germaniam reditum, quem adeo instantem non arbitror, ut non ad plures menses, et fortasse ad annum protrahendum sit. Sed ne inanem omnino postulationem tuam abire sinam , commentariolum de matre mea a me conscriptum ad te mitto. Hoc, si me amas, leges, et legendum etiam amicis communibus trades. In hoc ego commentariolo conficiendo aliquot menses impendi ; et huius confectio opusculi , si minus omnem animi mei aegritudinem abstersit, aliqua certe ex parte mitigavit. Quid vis ? Abdo me litteris, quae cum summum in omni vita illas colentibus oblectamentum, tum praesertim tutum in adversis perfugium nunquam non praestiterunt. Verum haec tulliano more scripta sint, quae nolim perinde intelligas, quasi non aliunde peti in aegritudine solatium queat. Unde autem petendum sit , nos quidem non socraticis disputationibus eruditi , sed christianis praeceptionibus instituti

ignorare nec possumus nec debemus. Vale et me Deiparae maiorem in modum commenda; quod ut facias et crebro facias te vehementer etiam atque etiam rogo. Iterum vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VI. Video quid egeris; elicere a me alteram latinam epistolam voluisti. Atque in hoc quidem tuam erga me benevolentiam amo, quod mea hac scribendi mediocritate videris delectari; sed miror quare cum in Cicerone absolutissima elegantissimarum epistolarum exempla habeas, meas legere cupias, insulsas sane ac plane ineptas. Ne vero tuam videar aspernari benevolentiam, tibi morem geram et latine respondebo. Gaudeo in primis latinum de matre mea commentariolum tibi sic fuisse probatum, ut et illud cupidissime legeris, et sortem invideris meam, cui talis obtigit mater, cuius tu quoque, sic enim scribis, *Filius* esse voluisses. Hoc tuum de lucubratiuncula hac mea iudicium et libenter accipio et vehementer amplector. Ex hoc enim coniicere mihi videor posse, non inscite omnino expressam a me matris meae fuisse imaginem quae huiusmodi in te desiderium excitarit. Alterum vero, quod addis de altero orationum mearum volumine, quod nescio quomodo de manibus typographi, me certe non consentiente, extorseris, iudicium, non aeque accipere possum atque complecti. Multa de meis laudibus persequeris, quibus si assentirer, nimis superbe de me arroganterque sentirem. Mallem tamen ex omnibus orationibus, quas secundum volumen amplectitur, parenaeticam de lectione ciceroniana tibi fuisse probatam. In eam contuli quae de latinae eloquentiae parente sentiebam, eiusque imaginem, quoad potui, ad vivum exprimere conatus sum. Verum hanc a me minus feliciter expressam ex eo non dubitanter colligo, quod non idem in te, atque illa de matre

mea desiderium commorit. Quae quidem imago si perfecta a me fuisset, non dubito quin similes atque adeo maiores in animo tuo amores excitasset, ut tu quidem Ciceronis, quam matris meae filius esse maluisses. Vale et me Deiparae commenda. Ego quoque ei te vicissim commendare non omittam, ut qui nullam partem meritorum tuorum assequi referenda gratia possum, ipsa pro me, quae nihil non potest, bonorum omnium accessione gratiam cumulatissime referat. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VII. Pro tua summa, quam de me habes, opinione summis me pergis cumulare laudibus, eloquentiamque meam in coelum efferre. Quid dicam? non sum adeo levis, ut qualibet inanis gloriolae aura circumferri ac iactari me patiar. Ut iudicium tuum non omnino repudiem, non possum tamen ei, ipsa reclamante conscientia, acquiescere. Multa sunt in orationibus meis, quae reprehendi iure possunt; multa, quae libenter ipse corrigerem, si novae adornandae editionis facultas suppeteret: sed non pauca obstant, et sumptus in primis homini privato vix ferendus. De lucro nunquam cogitavi, a quo et instituto et ingenio meo vehementer abhorreo. Illiberale quiddam ac sordidum quaestus olet, et ingenuo homine prorsus indignum. Aes vero alienum contrahere, cum solvendo non sis, multo illiberalius est et maxime fugiendum. Quod quidem etsi ego semper fugerim, tamen propter adversa tempora in illud ignarus atque invitus incidi. Disturbatis enim non sua voluntate, sed proximo infortunio, qui volumina se empturos mea receperant, aeris alieni pondus sustinere solus coactus sum. Sed confido fore, ut illa, cui volumina inscripta sunt, ab hoc me onere sublevet, ab hisque angustiis, in quas perversitate temporum coniectus sum,

me expediat. Iam ut ad illud respondeam, quod a me percunctaris, quid nimirum sentiam de quibusdam orationibus nuper editis; dico auctorem mihi esse prorsus ignotum: sed hac de re non est cur labores. Habes Ciceronis orationes, has legas. Plus una hora, quam in lectione ciceroniana impenderis, tibi proderit, quam reliquorum auctorum ad plures menses producta lectio. Ego cum a Cicerone discedo, vix praecipuos Oratores, qui ab illo extiterunt, adeo; reliquos, et maxime recentes facile praetereo. Si plus ingenii ad lectionem ciceronianam attulissem, plus certe profecissem; sed haec ipsa ingenii mei exiguitas, si quid non contemnendum extulit, id unum acceptum refert Ciceroni. Urge igitur, si me audis et aliquid laude dignum vis efficere, ciceronianam lectionem. Tantum auctorem et magistrum noli facile de manu deponere, et conare te ad illius similitudinem fingere. Tibi vero persuadeas, rem hanc nec esse exigui laboris, nec temporis; totum, uti dicitur, requirit hominem, et tempus omne, quod a reliquis studiis vacuum nancisci poteris, sibi vindicat. Magna res est eloquentia, atque haud scio an rerum omnium maxima, quae non verbis tantum, quantumvis electis et elegantibus, sed ex plurimarum doctrinarum copia et cognitione efflorescit. Haec scribo non deterrendi tui causa, sed inflammandi. In aliis studiis aliis obtemperabis, in hoc mihi parebis. Haec iam ad te pridem scripta fuit epistola, sed qui eam exscriberet, cum in promptu non habuerim, idcirco ad te serius, quam ego vellem, et tua dignitas postulabat, perlata est. Tu vero ignosces homini nihil non tua causa cupienti, qui si qua in re tibi desit, tuae humanitatis erit id non voluntati tribuendum, sed facultati adscribendum putare. Vale et mihi precibus tuis Deiparam Virginem concilia....

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariae Montio Advocato Consistoriali S. P. D.

VIII. Cum domi tuae te conveni, ut scilicet hominem, quem fama notum antea habebam, de facie quoque noscerem (nam in illo cubiculo, ubi sub vesperam nostra prima congressio fuit, quantum ingenii tui lumina emicarunt, tantum ingeniosissimi hominis aspectum mihi tenebrae eripuerunt) me et humanissime excepisti, et inter alia, quae mutuo sermone conseruimus, dixisti te latinis epistolis quam maxime delectari. Itaque latine scribo, non quo te aliqua voluptate afficiam; quae enim voluptas in hac mea scribendi mediocritate, sive potius insulsitate inesse potest? sed quo tibi morem geram, et institutum meum latine scribendi tenere pergam. Ac primum illa non recinam, de quibus multus inter nos sermo fuit, ne versiculum tu illum mihi recinas; *quidquid conabar scribere versus erat.* Quamquam non dubito, quin pro tua singulari humanitate homini nulla sua culpa in gravissima aerumna constituto, ac de propria calamitate modeste et sine cuiusquam iniuria querenti ignoveris. Iam ut ad rem veniam, quae me potissimum ad scribendum impulit, illud a te viro doctissimo percontor, quid nimirum novo hoc in vitae genere, in quod praeter omnem opinionem, (quis enim quod evenit, eventurum putasset?) compulsus sum, quid, inquam, habere me iuris arbitreris. Vides profecto in quaestione impeditissima, et explicatu difficillima mihi non obvium quemque de foro rabulam fuisse arripiendum, sed consulendum virum doctissimum, quem sapientia merito sua inter Advocatos Consistoriales, hoc est inter ipsos iuris antistites constituit. Neque vero haec mea percunctatio eo pertinet, ut forum cogitem, et cuiquam intendere litem mediter, sed tantum, quid mihi iuris sit, scire aveo. Video enim si necessario antea, nunc certe consulto esse mihi a foro

abstinendum, ne videlicet eius instituti, quod solemnibus nuncupatis votis professus sum, videar prorsus oblitus. Sincere igitur et aperte, rogo, mihi sententiam hac in re significes tuam; quidquid dixeris perinde accipiam, atque a viro sapientissimo profectum, et a iuris consultissimo pronunciatum. Responsionem porro non est cur epistolae committas, et rescribendi minime necessariam molestiam suscipias. Novi plurimas, quibus distineris, occupationes, quae tempus omne tuum obsident, et respirare vix libere sinunt. Ego ipse te domi tuae iterum conveniam, mihique praesenti praesens respondebis. Eo enim iure esse debes, quo iam inde ab antiquissimis temporibus probatissimi Iurisconsulti fuerunt, qui nisi causas publicas acturi descendebant in forum; de privatis vero negotiis domi consulebantur, quorum aedes tamquam oracula civitatis habebantur, et quotidie summa civium frequentia et splendore celebrabantur. Hoc te ius retinere aequum est; cum eo, quem dixi, loco sis, ac plane dignus, qui ob eximiam doctrinam tuam domi sedeas, unde responsa a consulentibus petantur. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Nicolao Mosconio Sororis Filio S. P. D.

IX. Hactenus ad te scribens italico sermone usus sum; libet nunc latine scribere, quo latine respondeas, mihique aliquod eius profectus specimen des, quem in lingua omnium utilissima et nobilissima feceris. Dici enim non potest quot et quanta ad omnem doctrinam haec lingua intimam eius cognitionem assecutis adiumenta sufficiat. Ad ius vero civile, cui nunc operam das, probe addiscendum ita necessaria est, ut sine eius intelligentia ne iuris quidem intelligentiam assequi possis. Veteres enim Iurisconsulti, qui in hac facultate antistites habentur, latini sermonis ele-

gantia quam maxime commendantur. Hortor igitur te, ut latinae linguae impense studeas, idque studium cum iuris prudentiae studio coniungas. Volumina mearum orationum, quae postulas, cum tempus advenerit opportunum et magis tranquillum, ad te deferenda curabo. Nunc ne postulatione tua inanis evadas, commentariolum a me de matre mea, avia tua, latine conscriptum tibi mitto. Hoc attente leges et fratribus tuis legendum trades. In hoc conficiendo veram eius sinceris, non fucatis usus coloribus, imaginem exprimere adnisus sum, in quam si intueberis, non poteris non ad imitationem eius virtutis excitari. Ego sane ut primum Romae te novi, statim mores tuos, indolem, modestiam, ingenuitatem amavi, quas ad praeclaras animi dotes retinendas magnopere conferet, si ad externos hortatus domesticum etiam, quo magis afficimur, exemplum accedat. Interea vero in id studium, in quo es, toto pectore incumbes, in primisque curabis, ut doctrinam cum pietate coniungas, quam omni debes doctrina existimare potiorem. Cum ad tuos scribes, plurimam omnibus meo nomine salutem adscribes, nominatim matri tuae, sorori meae. Cum vero mihi respondebis, enitere quantum poteris ut paucos aliquot latinos versiculos extundas, qui mihi gratissimi erunt. Commenda me Deo ac Deiparae Virgini, quam si eius tibi patrocinium et imitatione virtutum et crebris officiis promereberis, cum in vita, tum in morte propitiam experieris. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

X. Mirum in modum me cepit ingenuitas tua, qua nihil mihi neque gratius esse potuit, neque iucundius. Haec enim effecit, ut avunculum tuum nihil celares eorum, quae alius quivis aut fortasse negasset, aut certe dissimulasset. Amavi praeterea modestiam, qua de te,

deque ingenio tuo demisse admodum et sentis et scribis. De amico autem illo, cuius operam adhibuisti, ut sententias tuas, quas latine extricare non posses, polite ipse efferret et sermone eleganti explicaret, quid dicam? Sive potius quid non dicam? Tacere mallem, sed quandoquidem tu me ad loquendum provoeas, dicam aperte quod sentio. Malum profecto sententiarum tuarum interpretem optasti. Inepta est epistola tota; exordium epistolae vitiosissimum. Epistolae vero latinae tuae, quam optimo adscripsisti consilio, ut quid tuo marte efficere posses, agnoscerem, exordium est valde bonum, reliqua exordio non respondent. Hoc est meum de utraque epistola iudicium, quod tamen cave amico illi tuo significes, cuius ut operam vitare debueras, ita officium amare debes. Quod enim in potestate sua fuit, id tibi et libenter obtulit et ex animo praestitit. Tu vero in rebus quae ad doctrinam pertinent, noli in posterum tuo iudicio fidere. Facile enim in eos doctores incides quorum praeceptionibus nihil sapere atque adeo desipere condiscas. Quod scribis te, praeter reliqua studia, gallicae etiam linguae cognitioni operam dare, non satis consilium probo. Quidquid vacui temporis Iuris prudentiae studium tibi facit, id, me auctore, latinae linguae utilius impendes. Haec propter summam excellentium in omni facultate scriptorum praestantiam doctrinam alit, ingenium acuit, intellectum perficit; reliquae, si graecam excipias, se vix ipsae tuentur ac sustentant, nec magno eas colentibus adiumento esse possunt. Ceterum plura mihi videris complecti, quam ingenium tuum quod esse tu ipse fateris valde circumscriptum, capere possit. Modum igitur adhibebis, qui si vel summis ingeniis consulitur, mediocribus certe ac tenuioribus praecipitur. Quare eo studio, in quo versaris, gravissimo et maximo contentus sis, quod cum unius latinae linguae studio coniungas tibi iterum auctor sum: reliqua, quae ad ornamentum, sive potius ad quam-



dam pertinent ornamenti speciem, qua facile carere possumus, in aliud tempus reiicias. Super omnia studiorum tuorum Patronam tibi Deiparam adsciscito, qua magistra non humanam tantum assequeris, sed quae multo praestantior et optabilior est, divinam ac caelestem sapientiam doceberis. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Philippo Durano Advocato Consistoriali S. P. D.

XI. In exorta nuperrime implicatissima controversia, quem potissimum consulam, nisi te, vir doctissime, quem tua iampridem sapientia amplissimo Advocatorum Consistorialium Collegio adscripsit, hoc est in editissimo dignitatis gradu collocavit? Ut enim meis in studiis semper me gessi, ut praestantissimos quosque scriptores, et unum fere omnium praestantissimum legerim, reliquos facile praetermiserim; ita eos nunquam non consulendos putavi, a quibus tanquam ab idoneis magistris doceri possem; de quorum vero eximia doctrina mihi plane non constaret, non fui quidem unquam aspernatus, sed minime audiendos censui. Tu vero is es, qui et me docere potes, et ego te in difficillima quaestione audire vehementer cupio. Aveo igitur scire quid mihi iuris esse existimes in hac tanta rerum nostrarum conversione, sive potius perturbatione; ad pristinane iura me rediisse arbitreris, an secus. Vides profecto: quod nuper, Deo permittente, evenit, in toto iure fortasse exemplo caret. Multa de postliminio veteres Iurisconsulti acute disputant, et copiose persequuntur; de novo autem hoc postliminio, ut ita dicam, prorsus, opinor, tacent. Quare a te peto ut me doceas, et quae tua sententia hac super re sit, libere atque aperte declares. Nolim vero suspiceris me aut forum cogitare aut aliquid huiusmodi ab instituto meo alienum in praesentia

machinari, sed tantum quid in hac controversia senseris, mihi significes rogo; ut mea haec percunctatio ad cognitionem potius pertineat, quam aliud quidquam spectet ab instituta vitae meae ratione alienum. Scio quid me deceat, quid a me officium requirat non ignoro. Exspecto igitur sententiam tuam, quam si mihi perscripseris, tibi persuadeas velim nihil gratius futurum Societatis alumno pro singulari tuo erga eam studio, quod, si unquam, hoc maxime tempore sic enituit, ut esse tota urbe testatius atque illustrius non potuerit. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariae Orlandio S. P. D.

XII. Absentia ab urbe tua et patris tui viri humanissimi mirum in modum me cruciat, atque in dies angit vehementer; perinde enim a vobis distrahor, atque a patre amantissimo et fratre carissimo. Itaque quamprimum videre vos cupio, et una vobiscum esse. Audio tuam valetudinem tentatam esse febri, sed hanc laetor a te facile discussam, ut recte nunc valeas. Tu paterque tuus vobis persuadeatis velim, quae in me contulistis beneficia, grato homini fuisse collata, cui nihil magis cordi sit, quam ut aliquam referat gratiam hospitibus de se optime et insigniter meritis. Sebastiano Durantio nostro doctissimo illi et tot sapientiae stipendiis in Collegio Romano confectis emerito seni plurimam a me salutem dices, cui quantum favere Aristotelem, tantum infensum esse Pythagoram arbitror. Quamquam de fabis minus sollicitus sum; de boletis maior me sollicitudo torquet, ne forte, quod superi avertant, in Claudii boletum incidat. De responsione non est cur labores; non enim responsionem exspecto tuam, sed vos, quos videre quamprimum et salvos atque incolumes amplecti vehementer cupio. Mei in sacrificiis tuis,

quaeso, memineris, et clientulum Deiparae suum etiam atque etiam commendabis. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Leonardo Cianio
S. P. D.

XIII. Pudet me esse coactum accusare iterum negligentiam in respondendo meam. Iampridem accepi suavissimas literas tuas Viennae, quae est in Austria, datas. Ideo addidi quae est in Austria, ut eam ab illa, quae in Gallia, et vetustissimae Ecclesiae dignitate, et Conciliorum celebritate longe clarissima habetur et nobilissima, discriminarem. Nam quid *Vindobona* tua ista sit, prorsus ignoro, ut divinare necesse fuerit, quo potissimum epistolam hanc meam inscriberem. Sed qua de causa illa sic appellari coepta sit, tu videris. Ego ab accepta epistola tua multa scripsi, multa dictavi, atque aliud ex alio ageas ad hoc usque tempus responsionem distuli. Qui negligentiam sincere accusavi meam me tibi non purgabo, sed veniam a te orabo, et quin exorem non dubito. In primis quod mihi de humanissimo hospite meo gratularis, valde in hoc amo amorem tuum, qui facit, ut de meis perinde commodis laeteris, ac de propriis. Hic est, quandoquidem eius tibi nomen edi cupis, Clemens Orlandus, excellens architectus Romanus, splendidus vir ac magnificus, in primis vero valde pius et religiosus, et Societatis Iesu amantissimus. Quot et quanta in me conferat beneficia, dicam paucis. Perinde me amat et diligit ac filium, perinde me colit et observat ac patrem. Sic igitur habeto ex omnibus sodalibus, qui quidem Romae restiterunt, neminem esse, qui amantius exceptus sit, neque vero qui lautius splendidiusque tractetur. Quamquam ego nec lautitiis, nec cultus splendore moveor; una benevolentia delector, in qua possim post diuturnam tot annorum iacta-

ctionem pacatiori animo conquiescere. Venio nunc ad censuram tuam, qua Ciceronem perstringis et tanquam nimis gloriae cupidum notas et carpis; quae tua me vehementer censura commovit. Eius patrocinium libenter susciperem, et causam hanc fortasse agerem non indiserte, si actio haec brevibus epistolae finibus concludi posset. Quid, amabo te, mi iucundissime Ciani, homini ethnico ignoscendum est magis, quam servire gloriae, quae una illi laborum merces, et ea quidem honesta, et tot curis, vigiliis, periculis pro Republica aditis quaesita proponebatur? Nam socratica illa, homini doctissimo non ignota, quantum verbis splendida sunt atque magnifica, tantum re ipsa humanae infirmitati minus congrua atque accommodata. Utinam haec sola gloriae cupiditas, et eo, quo dixi a Cicerone modo quaesita, Catholicae religionis cultoribus obiici posset! Utinam, quae Cicero de Reipublicae libertate recte sentiebat, eadem isti meliore atque adeo optima in causa sentirent? Utinam quae Cicero pro Republica fortiter ac praeclare gessit, nullum ut laborem recusaret, nullum discrimen refugeret, isti pro tutanda sanctissima religione sibi ultro suscipienda et vero etiam appetenda existimarent! Pudet profecto me istorum, si quando cum Ethnico confero. Mihi crede, quoties Ciceronis epistolas lego, toties prope contextam horum temporum historiam legere mihi videor, et multa a nostris hominibus requirere cogor, quae si minime desiderarentur, melius profecto religioni consultum foret. Legant isti, quae Paeto scribit (ad Famil. l. 4 ep. 24) et verecundentur. *SIC TIBI, inquit, mi Paete, persuade, me dies ac noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint. Nullum locum praetermitto monendi, agendi, providendi. Hoc denique animo sum, ut si in hac causa atque administratione vita mihi ponenda sit, praeclare mecum actum PUTEM.* Et vero pro Reipublicae libertate vitam posuit sanguinem-

que profudit. Quis haec legens, animo tam fracto atque abiecto erit, qui se commoveri non sentiat? Quis tam remissus ac dissolutus, ut non incitetur? Fateor equidem, me ista vehementer commovent, et ad suscipiendam laborantis religionis causam incredibiliter inflammant. Sed quid facias decisis auribus, amputata lingua, litterario omni distracto ac divendito instrumento? Tu igitur, cui integra sunt omnia, communi causae succurre. Te nunc vel maxime eius Collegii, in quo ad omnem pietatem ac doctrinam institutus es, dignum alumnum proba. Miserere Germaniae tuae, quae nunc Societatis destituta subsidio, ad te quodammodo tendit manus, opem implorat, exposcit auxilium. Haec habui, quae ad te scriberem, quibus et Ciceronem a tua criminatione vindicarem et te eius exemplo ad Catholicam Religionem pro tua parte tutandam ac defendendam incitarem. De nova meorum operum editione, si minus Viennae id assequi poteris, cum Tridentum veneris, cogitabis. In praesens mihi sufficit, si huius rei memoriam prorsus non abiicias. Vale et me Deiparae etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Nicolao Mosconio
S. P. D.

XIV. Proximis literis tuis mihi significasti te cupere vehementer Romae esse mecum, quo aliquanto plus in literis proficere possis, quam hactenus tibi profecisse videaris. Ego sane libenter optimae huic voluntati tuae obsequerer, si res meae, quo nunc sunt constitutae modo, paterentur. Fastidium docendi, quo in munere totam ferme aetatem meam contrivi, non iniquo animo tua causa subirem, quem scio et docili esse ingenio et discendi percupidum. Si Aesii, qua in urbe natus es, Societatis Iesu exstitisset Collegium, multo certe plus in literis et bonis

artibus pro tuo in eas studio profecisses. Si quid ego profeci, totum id, totum, inquam, uni acceptum refero Societati. Verum tua culpa factum non est, ut tanto bono singularique munere a Deo hominibus impertito, nunc vero occulto Dei iudicio iisdem erepto, minime fruereris. Ceterum, rursus affirmo, te apud me libenter reciperem, nisi rerum, ut dixi, mearum ratio prohiberet. Nunc vero, quandoquidem hic ad discendum aditus, quem tibi patere maxime velles, est interclusus, neque arbitrio tuo doctorum optio permissa, iis utere doctoribus quibus iuberis; eos, ut decet, cole et observa, eorumque stude quantum potes, doctrina proficere. In primis vero te crebra optimorum auctorum iuvabis lectione, quae plurimum in quaque facultate et una maxime valet. Sed ut ad exordium epistolae redeam, et neque id, quod postulas, omnino concedam, neque omnino negem, si una Romae mecum esse non poteris, fortasse ad aliquot menses una erimus Aesii. Teneor enim incredibili desiderio ante meum e vita discessum Lauretanam domum iterum adeundi; facile erit Laureto Aesium divertere, et captata occasione convenire matrem tuam, sororem meam, qua cum adolescens Cremonae educatus fui, quamque ab eo tempore, et fortasse anni quadraginta intercesserunt, non vidi quo Pisauro discedens reversus sum Romam humaniores litteras docturus. Illa tunc nupta nondum erat, et Pisauri in coenobio Corporis Christi institutionis causa versabatur. Audio hanc omnibus pietatis officiis esse mirifice deditam; eam tu imitaberis, et te filium tali dignum matre praestabis. Si venire deliberavero, faciam te antea per litteras certiorem. Vale, et me Deiparae enixe commenda, curabisque in primis ut cultus erga illam tuus constans sit, et assiduus.

XV. Accepi litteras tuas X. kal. Mart. datas, et eas quidem latine scriptas. Miror in primis tabellarii cessationem, qui tantum temporis in decurrenda via consumpserit, ut si testudinis pedibus iter esset ingressus, multo sane celerius illud confecisset, litteraeque ad me citius tuae pervenissent. Sed video te in notandis kalendis esse hallucinatum; quare moneo, sis in posterum diligentior. Quod autem ad epistolam attinet, ea mihi non probatur; sed si cum superioribus, quas ad me scripsisti, comparetur, digna est, quam aliqua laude prosequar. Satis latina est, satis apta, et contexta sententiis. Si Ciceronis epistolas minus intelligis, egent enim multis in locis interprete, lege latinas aut Bembi, aut Sadoleti, aut Pauli Manutii doctorum omnium consensu probatissimas. Ciceronis lectio ut omnibus est consulenda propter summam scriptoris excellentiam, ita ob hanc ipsam causam non omnibus est ingeniis accommodata. Caeterum postrema haec epistola tua multo sane, quam superiores, castigatior est, ex qua quantum ex meis ad te perscriptis animadversionibus profeceris intelligo. Nec vero non colligo quantum profecisses, si rectiorem institutionem, doctoresque magis idoneos habuisses. Praesentia certe mea aliquid ad profectum tuum conferret, sed ut ad te scripsi, neque ego Aesii, neque tu Romae esse possumus. Utere igitur iis doctoribus, in quorum datus es disciplinam, atque hac in re patri tuo morigerum te praebe, eiusque imperio, ubicumque te esse voluerit et quoscumque audire doctores iusserit, acquiesce. Animadverti illum coenobitis magnopere delectari; qua re satis ostendit se de recta magis institutione morum, quam de politiori litteratura esse sollicitum. Hac de causa ei plurimum debebis, eiusque optimam erga te amabis voluntatem, qua tibi in re maioris

momenti, et omnium maxime expetenda prodesse studuit. Ego vero te rursus moneo et monere nunquam desinam, ut pietati reliquisque virtutibus, ex quibus ea, quae sola et vera sapientia est, existit, impense operam des. Super omnia Deiparam Virginem colito, nullumque diem abire sinito, quin aliquo peculiari obsequio eam tibi demerearis. Plurimam salutem a me dices patri tuo, plurimam matri, plurimam item Aloisio et Ludovico fratribus, plurimam denique sororibus quas propriis nominibus, si mihi nota essent, appellarem. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Alberto de Albertis sodali carissimo suo S. P. D.

XVI. *Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, qui cum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem, qui me amet, qui sapiat, qui cum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam.* His verbis orditur Cicero epistolam ad Atticum suam (lib. I. ep. 28.) Quod exordium vix legi, mihi statim tui recordationem commovit. Atque haec quidem verba nescio an rectius cuiquam accommodari possint, quam tibi, quicum vetus amicitia est et familiaritas, quem nunc absentem vehementer desidero, quo praesente mihi viderer nihil posse requirere, quo in hac nostra aegritudine uterque relevaremur. Dicam libere et aperte quod sentio; subitum illud tuum et praeceps Roma discedendi consilium nec probavi, nec probo; praesertim vero cum tu ex illo discessu graves in molestias incideris. Multa exstiterunt, quae praestitisset audire, quam videre; mors sororis germanae, sororis filiae letum imminens, quae diuturno vexata morbo pene a medicis, tam saepe laxata vena, enecta est. Amici defuerunt qui te consolarentur et moerorem levarent. Omnia, ut scribis, plena luctus; credo equidem, sed quem discessus ille tuus,

qui te praesentem constituit, non mediocriter auxit. Hoc scribo non exprobrandi causa, sed ut intelligas illum mihi nequaquam fuisse probatum. Verum, ut absens aliquam amico absenti per litteras consolationem adhibeam, ea ipsa, quae saepe mecum agitare soleo, ut inde mihi solatium aliquod in hac tanta rerum acerbitate conquiram, tecum communicabo. Cum aetas utriusque nostrum non longe absit a sepulcro, quid est, quod discruciemur? Quid quod angamur, si multa nobis odiosa et adversa contingant, quorum prope adest et in dies instat finis? Accepta vero omnium longe gravissima calamitate, quid est tam luctuosum ac triste, quod si cum ea conferatur, nobis non leve aut certe minus grave videri debeat? Quod autem ad calamitatem ipsam attinet, est sane cur immortali Deo gratias agamus, quod in hanc utriusque nostrum aetatem inciderit. Maiorem enim et vero multo maximam vitae nostrae partem in Societate transegimus, ex qua quidquid percipi boni potuit, perceptum a nobis fuit, nihil ut praeterea sive ad institutionem, sive ad doctrinam expetendum sit. Hoc valde consolari nos debet et aegritudinem nostram levare; praesertim si animadvertamus multo aliter cum iunioribus nostris, Deo sic permittente, esse actum. Horum conditio multo durior nostra et asperior fuit, quos alienissimo tempore tantum infortunium nec opinantes oppressit. His de recto, cui institerant, tramite deturbatis *grandis restat via et longum aestuosissimi maris aequor arandum.* Hi periculis saeculi, quae optimo usi consilio declinaverant, rursus obiecti sunt, ex quibus nos propter aetatem iam evasisse dici possumus. Coguntur illi de novae vitae capessenda ratione deliberare; nobis autem, qui multo maximam vitae partem transegimus, de discessu tantum e vita et migratione cogitandum est. Quid? quod illud ipsum otium, de quo quereris, divino quodam ac singulari munere nobis datum atque oblatum debemus existimare, cuius quidem

tu mihi opportunitatem non videris agnoscere. Qui tot annos aliis viximus, quid magnopere expetere poteramus, quam, quod reliquum vitae futurum erat, nobis viveremus? Si laboribus, quibus pene opprimebamur, quies successit, quid ni hoc summi beneficii rationem habere censeamus? Quamquam non otio nec cessationi, si recte animadvertere voluerimus, relictus est locus, cum otium hoc ipsum, ad coelestium rerum commentationem conferre possimus et vero etiam debeamus, quo paratiores ad capessendum aeternitatis iter expeditioresque simus; quod quidem si curas omnes anteactae vitae, multo potiori iure sibi postremas vindicare debet. Hactenus haec pro nostra mutua amicitia et familiaritate; non quo tu his indigeas, quae per te cogitare potes et ex Evangelio, quod pro concione saepe explicasti, depromere. Ea enim divinus ille codex suppeditat, quae non ad levandum tantummodo moerorem, sed ad abstergendum prorsus mirifice valent, et quae frustra a socraticis et tullianis disputationibus petas. Vale, meique tuis in sacrificiis memineris, et Deiparae Virgini me etiam atque etiam commendabis. Vale iterum, vale tertio, centies vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem. Venetias
S. P. D.

XVII. Miseret me tui, vicemque tuam quotidie non sine doloris sensu animo propositam habeo. Lacuna ista conclusus teneris, unde nusquam perrepere potes, nisi navicula invectus. Nullus arborum viridantium aspectus; nulla ex patenti atque herbosa planitie voluptas. Nihil oculis fere occurrit praeter aquam et infinitam cymbarum ultro citroque discurrentium multitudinem, quarum rerum aspectum consequatur satietas necesse est. Aedificiorum magnificentia, tabularum ac signorum praestantia te ne tangit quidem, quem nec Roma ipsa hoc rerum genere abundans

delectabat. Frequentia vero et celebritas urbis inimica sunt homini secessum amanti et sibi vivere cupienti. Istam ego urbem, ut pulcram ad visendum, sic iniucundam ad incolendum duco. Quid ? quod commorationi isti tuae per se satis odiosae domesticae accesserunt molestiae, ex quibus ego quoque tantum aegritudinis capio, quantum decet amicum capere, qui te unice amat ac diligit ? Si haec angoris communio levare te posset, mihi crede, magna certe curarum ex parte relevatus esses; sed haec, quam in oneribus vim non habet , quibus ferendis adiuvat ex aequa portione et allevat societas. Alio igitur petendum est levamen, exquirendumque solatium; unde autem, scripsi priore epistola. Nunc quo te modis omnibus relevare coner, tibi aliunde levamentum arcessam, nec vero non nisi a te ipso, scriptisque tuis quae multa Romae tot annos sacram scripturam ex superiore loco ad frequentissimum conventum interpretatus exquisita doctrina atque eruditione elucubrasti. Haec ego te magnopere hortor ut edas et publici iuris facias. Urbs ista, in qua versaris, summam ad id tibi affert opportunitatem. Minimo impendio Venetiis imprimuntur libri, impressi facile in omnem Italiae partem distrahuntur. Mens vero in hac , quam tibi propono, cura, quae totam animi contentionem requirit, defixa eo relabi non poterit, unde ei molestia importetur. Praeterquamquod incredibili voluptate afficitur animus , cum partus in lucem eductos intuetur suos. Huc accedit, quod istiusmodi occupatio querimoniarum tuarum praecipuam refutat et prorsus infringit. Quereris ademptam tibi more tuo de suggestu dicendi facultatem; ego vero multo maiorem oblatam esse et affirmo et confirmo. In farnesiano olim templo te circumfusa ac stipata multitudo audiebat , sed templi ipsius finibus circumscribebatur. Nunc vero, meo si utaris consilio , Italia tota concionem tibi constituet , ampliorem certe et multo celebriorem. Cum de loco superiore verba faciebas, verba

ipsa praetervolabant; typis vero impressa perstabunt et sempiternum usque in tempus perennabuntur. Quod si, ut credo, maiorem Dei gloriam et salutem animorum spectasti, utrum putas ad utramque magis conducere, ea, quae te ad evulganda nunc hortor, in scrinio latere, an deprompta atque edita spargi et quam latissime diffundi? Haec tecum ipse serio perpende et delibera. Neque vero est cur publicum reformides et acre oculorum iudicium verearis. Non enim dubito quin, qua summa hominum audita sunt approbatione, eadem impressa legantur. Non est igitur cur queraris, si id otii nactus es, quo quidem nihil, quando eo abuti nolis, opportunius esse potest, et vero etiam fructuosius. Quae cum ita sint, desine tandem aliquando querelarum; amplectere consilium hominis amantissimi tuique amicissimi; extende labores tuos futurum in tempus, ut, qui vivens publico commodo studuisti, eidem, cum esse desieris, servire pergas. Vale et amico tuo recta et valde salutaria atque in hac tanta aegritudine tua omnino necessaria suadenti morem gere, et fusis ad Deiparam Virginem precibus opitulare.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XVIII. Ain tu preces meas in summa, qua assidue cruciaris, aegritudine solatium tibi solas afferre posse? Tantumne miserrimi peccatoris precibus tribuis, ut maius aliunde exspectare te levamentum affirmare non dubites? Utinam tales essent, quales esse cuperem, ut absenti amico hac saltem ratione opitularer. Tales autem ut sint, enitar quantum potero; tu precibus vicissim tuis fac, ut a Deo minime repudientur et sic audiantur, ut exaudiantur. Graviter tuli quod febri valetudo tua tentata sit, sed gravius tulissem, nisi quae tristem nuncium attulit epistola, illam a te discussam significasset. Vellem, ut angorem illum tuum,

qui te dies noctesque discruciat nec ullam partem quietis capere sinit, similiter discussisses. Ego vero illi, quam porrexi medicinam, iterum porrigo, nec vero desinam, quoad usque eam sumas, et releveris. Iterum igitur te hortor et pro veteri nostra amicitia etiam adigo, ut serio de edendis tuis in sacram scripturam commentariis cogites. Ordiri poteris ab Iudithae historia, quam tibi rogatu tuo proxime misi, quod est opus a te elaboratiori cura perfectum, et ad legentium utilitatem quam maxime accommodatum. Animus, ut iam scripsi, huic curae intentus aut omnino non aberrabit aut certe minus ad eas, quae te sollicitant, curas relabetur. Experto crede; nihil ego secundum ea, quae superioribus litteris attigi, in hac nostra calamitate salutarius expertus sum, quam iis me studiis, quibus assuevi, dedere; et aliquid mandare litteris, et vero etiam, quandoquidem interdictum non est, in conspectum hominum lucemque proferre. Si Romae esset, quae isthic typographorum opportunitas, qui quam celerrime et minimo impendio et nonnumquam etiam cum auctoris compendio, quamquam hoc non consector, libros imprimunt, serio cogitarem de meis Actionibus et Orationibus iterum imprimendis, quae emendatiores certe cultioresque prodirent. Nihilo tamen secius multa dicto, multo plura scriberem ac dictarem si librarii copia ad nutum adesset; quae vero scribo, fore posteris non inutilia confido. Nam quid facias? Utendum, quod datur, bono. Si praecisae aures, si amputata lingua, digiti relicti sunt, nec calamus de manibus extortus; quae scripseris imprimendi facultas adempta non est, quae quidem nobis adimi in primis debuit. Sed nimirum omnia Dei nutu aguntur et moderantur, quo nos etiam, ut par est, regi gubernarique patiamur. Quare, ut revertar eo, oblatam praeter opinionem opportunitatem amplectere; neque hanc aut propter desidiam aut certe propter nimiam animi aegrimoniam sine fructu, qui percipi uberrimus ad Dei

gloriam potest, elabi sinito. Sume animos, et laetiora ac secundiora, quae, Deo tandem aliquando volente et conditionem nostram miserante, succedent, tibi proponens hac spe te sustenta et consolare. Vale, meique tuis in sacrificiis et crebris ad Deiparam Virginem precibus memineris; ego certe nunquam obliviscar tui. Iterum iterumque vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XIX. Officia, quibus me cumulat hospes meus, nec numerum habent nec modum, quae quidem ego nunquam nec oratione exequi, nec referenda gratia ut gratus haberi et esse cupiam, assequi potero. Quo loco admirari subit divini numinis providentissimam curam, quae nos non omnino in tanta calamitate destituit. Non enim proximo naufragio ita abiecti fuimus ac derelicti, nemo ut amicam manum porrexerit, nemo a fluctibus eripuerit. Ut multae, missis codicillis, obstructae ex opulentioribus nobilioribusque domus fuerint, ut multa praeclusa dispersis sodalibus hospitia ac diversoria, multa tamen patuerunt; eorum in primis, qui nostram vicem miserati, vel proprio periculo nobis succurrere non dubitarunt. Quibus eo maiorem gratiam habere debemus, quo excelsiore animo, quae sibi molestiam creare poterant nostra causa, contempserunt. Hanc tu quoque benevolam providentissimi numinis curam expertus es, qui statim ab exitu ex eo, in quo diversabaris, domicilio, lauto hospitio peramanter exceptus es, ut non tam eiectus quam invitatus viderere. Haec tecum reputans et tibi proponens noli te angoribus dedere, ne valetudini tuae, per se satis infirmae, noceas ac Deo minus fidere videaris. Scio te respectare Romam, sed de reditu ad urbem, iis praesertim, quas tu velles, conditionibus, non est cur in praesentia cogites. Omnes nunc obstructi sunt aditus, sed spero fore, ut Deo seras removente, tandem aliquando pan-

dantur. Ego sane nihil magis exopto, quam ut una simus et amicitiae nostrae ad exitum nobiscum vergentis novissimos fructus capiamus. Interim hoc maneat, quod nulla labefactare vis poterit; ego te absentem tanquam praesentem amo ac diligo, et scio me a te absente tanquam praesentem amari ac diligi. Quare de nostra veteri amicitia, deque mutua benevolentia prolixiora verba non faciam, ne videar dubitare illam absentia et longinquitate locorum fuisse imminutam. Si quid rescribere voles, communi, quem nosti, amico rescribe; quidquid ei scripseris, mihi scriptum putabo; non quod epistolas tuas non libentissime accipiam, sed quod respondendi molestia me incredibiliter fatigat. Vale et quod saepius rogavi, me Deiparae Virgini commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. S. P. N.

XX. Epistola tua, qua commendatitias ad N. N. litteras Aesium postulas, ad me sero pervenit, cum multo ante omnem commendationi aditum mihi ipse praecluserim. Senatus Aesinus honorificentissime mecum egit, ut rhetorem, quem maxime idoneum existimarem, veteri sufficiendum eligerem, totamque eam rem arbitrio meo permisit. Ego gratias egi quam plurimas, et consultius duxi me incerti exitus negotio nequaquam immiscere. Quare, ut vides, in integro res amplius non est, et inconstantiae ac levitatis esset, si quod mandatum non receperim, mutata repente voluntate susciperem. Hoc cum ita sit, uti scribo, ignosces, opinor, si hac in re tibi gratificari non possum; alias si mihi libera occasio tibi commodandi se offeret, non committam, ut officium meum desideres. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Scipioni Stambrino Advocato S. P. D.

XXI. Quam mihi gratus fuerit adventus ille tuus, qui, si recte memini, incidit in diem XII kal. octobris, quam iucunda illa collocutio longius, quam tuae occupationes ferebant, producta, verbis assequi nequeo. Adventus, ut insperatus, ita multo gratissimus accidit, collocutio vero tanta fuit suavitate sermonis condita, ut nihil magis; cuius memoria cum grata animi recordatione, quoad vivam, certe retinebo. Neque enim illa verba tantum fuerunt, quae serere inter se amici, si quando conveniunt, cum voluptate solent; sed verbis addita fides, qua recepisti te mihi nunquam, si quid occurrat, in quo opera tua opus sit, defuturum. Qua prolixa tuae tam bene affectae voluntatis declaratione ita me tibi devinxisti, ut nemini devinctior esse possim. Nec vero est cur timeas ne tibi sive pro me rogando, sive pro aliis interpellando molestus sim futurus. Scito me opibus amicorum etiam sponte delatis tanta moderatione et parsimonia tanta uti consuesse, ut eis, nisi summa necessitas urgeat, ac prope adigat, parcam. Nihil enim magis odi nec quidquam tam alienum ab ingenuitate arbitror, quam odiosum exactorem videri, qui perinde ab amico, atque a creditore debita sibi nomina importune repetat. Alia ratio est, et vero multo diversa esse debet officiosi, ut ita dicam, amicitiae fori, atque illius alterius, in quo de iure vindicando disceptationes instituuntur, ut quod in hoc licet, in illo reprehendatur; immo vero quo liberaliores in offerendo amici sunt, eo modestior et parcior, qui iura amicitiae tueri velit, esse debet in acceptando. Itaque maximas tibi gratias ago pro singulari animo in me tuo, et nominatim pro tua in re, quam nosti, et pro qua non mediocriter laborabam, prompta commodandi voluntate. Reliquum est ut ego ope-

ram tibi vicissim meam, qualiscumque ea sit, tibi deferam. Defero autem sic, ut nolim ei parcas et nimis religiose, illi, quam paulo ante constitui praescriptioni adhaereseas. Nulla enim tam universe lata lex est, quam exceptio non contrahat. Itaque si tu operae meae, quam tibi ulla sine exceptione neque rerum, neque temporum, neque occupationum exhibeo, et consentiente, et lubente et volente me minime parces, iura quidem amicitiae non violabis, sed id ages, ut hanc ego ipsam amicitiam magis ac magis confirmatam putem. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXII. Redeo ad collocutionem illam nostram qua, ut scripsi, nihil mihi neque gratius accidere potuit, neque iucundius, addo etiam neque incertis hisce temporibus opportunius. Inter alia mirifice illa tua liberali, ac benevola domum tuam invitatione captus sum; si quid forte eveniat, quamobrem hinc ubi libentissime ac placidissime diversor, demigrare cogar. Dixisti praeterea duo vacua apud te patere cubicula, quamquam mihi satis unum superque esset, in editiori parte domus constituta, a via publica aversa, et ad medium conversa diem; quae quidem ego plane perspicio, mihi iam vetulo et hiberni frigoris vim summopere extimescenti, si quando ea contingeret incolere, fore accommodatissima. Quamquam vere ut dicam, praeter contubernium tuum et iucundissimam vitae victusque consuetudinem, non tam illa commoda sectarer, quam atque adeo praecipue Exquilinae Basilicae propinquitatem sequerer, a qua longius, quam nunc sum, recedere nullo pacto sustinerem, oblato vel lautissimo intra urbis celebritatem et frequentiam domicilio. Tanta enim opportunitas in illa sacra aede vel ad animi vel ad corporis salutem mihi ostenditur, ut omnibus commodis, quae prae-

stare quivis locus posset, anteferendam putem. Quotidie magis, mi Scipio, ingravescit aetas, debilitantur corporis vires, animi robur infringitur, ut non iam de migratione de domo in domum, sed de emigratione e vita cogitandum mihi sit. Aeternitatis iter capessendum est, lubricum sane ac perdifficile; vetere relicta nova adeunda domus, incertus supernane, an, quod Deus avertat, inferna. In hoc tam ancipiti rerum discrimine, quid salutarius, quam illi non tam animo, quam domicilio adhaerere, quae tibi una possit secundum Deum, beati ac superni domicilii ianuam patefacere, *et te recipere in aeterna tabernacula?* Sed ut revertar eo, unde digressus sum, tibi persuadeas velim nihil mihi gratius a te fieri potuisse liberalissima illa invitatione tua. Ego vero cum erga omnes, qui me aliquo officio prosequuntur, summopere afficiar, tum praesertim erga hospites meos, et qui sunt, et quicumque in hac tanta rerum nostrarum inconstantia futuri sunt, praecipuo grati animi sensu moveor, et vero etiam quodam veluti impetu feror. Amplector igitur vehementer tam benevolam voluntatem tuam, pro eaque tibi maximas ago et habeo gratias, qua etiamsi fortasse non utar, non idcirco erit, cur minus tibi debeam; voluntate enim magis, quam re beneficia metiuntur, quae una si desit, vix ac ne vix quidem beneficio locus relinquitur. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXIII. Quantopere tibi devintus sim, pro tua eximia in me ac singulari benevolentia, tametsi saepe verbis declaravi, tamen hoc ipsum his ipsis epistolis committere decrevi, quas grati ac memoris animi mei testes esse volo, et fore etiam in posterum confido. Verba enim praetervolant, quae vero litterarum monumentis consignata sunt non ita facile dilabuntur ac pereunt. Utinam mihi talis

obtigisset eloquentia, qua epistolae meae, quae ad plurima volumina iam creverunt, commendarentur, iisque perennitas conciliaretur; quod quidem tua praesertim causa maximopere cuperem. Verumtamen si eas per otium perpolire ac limare potero, non omnino impolitae evadent atque indisertae, et fortasse dignae, quae et ferre aetatem posse, et vero etiam in manus hominum, me extincto, auctori suo superstites venire existimentur. Porro inter tot amplissimorum et doctissimorum virorum, quibus scriptae sunt, nomina, nomen quoque tuum apparere volui qui ingenio et doctrina censeris, quibus maxime rebus vera amplitudo constituitur et dignitas comparatur. Te quidem Advocati munus, quo munere summa cum laude fungeris, iam pridem in amplissimo dignitatis gradu collocavit. Sed tamen si aliqua fieri accessio dignitati tuae hac mea testificatione possit, hanc nolui a me desiderari. Habe igitur tres has epistolas uno tempore scriptas, et uno tempore ad te datas, habe, inquam, tanquam pignus amoris mei, et perpetuae meae erga te obsides voluntatis. Has vero ita in calce voluminum meorum, quae ut affirmas quotidie legis, collocabis; ut sua cuique volumini assignetur. Sic enim chartae modum dimensus sum, ut plane quadret, et facile possint agglutinari. Volo enim, ut quodcumque ex voluminibus meis in manus sumes, et quotiescumque sumes, toties non solum de mea erga te observantia, sed etiam de grato, ac memori animo recorderis. Etiam atque etiam vale.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. S. P. D.

XXIV. Legi opusculum; iudicium meum non interpono, propterea quia mihi nimis arrogarem, si qui in re clara atque perspicua nihil opinione tua vidi, in re minus clara atque perspicua aliquid mihi videre viderer. Quod

vero non solum videre mihi videor, sed plane video atque adeo sentio, illud est cui ne tu quidem, nec vero quisquam possit contradicere; me nimirum pro summa egregiaque erga me voluntate tua esse tibi quam maxime obstrictum. Huius porro voluntatis quoad vivam, memor ero; et si mihi a te opportunitas dabitur, etiam gratus. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — *N. N. S. P. D.*

XXV. Me summas in angustias coniecisti, ex quibus nescio quomodo extricare me possim. Tibi quidquam negare nec debeo, nec audeo; sed tam multa, quae tuo scripto complecteris, qua ratione latine efferri et in arctum compingi a me queant, ignoro. Adde, quod eius generis sunt, quae si pluribus verbis non explicentur, aenigmata fiunt, quae non dicam Oedipus, sed ne Sphinx quidem ipsa interpretetur. His alia gravis accedit difficultas, quae scribentem torqueat. Pleraque enim, quae latine dici vis, cum domesticis rationibus dati atque expensi contineantur, nonnisi aegre admodum eleganter et luculenter dici possunt. Praeterea in nonnullis non satis sensum assequor, qua in re non negligentiam accuso in scribendo tuam, sed tarditatem in intelligendo meam. Postremo non video, cur amico scribens, qui nulla neque doctrinae, neque latinae linguae commendatione censeatur, latinam et quidem elegantem ab amico scribi velis, et potiori consilio patria lingua non utaris. Quare hac si molestia me liberaveris, mihi gratissimum facies. Vale.

LIBER SECUNDUS

Iosephus Marianus Parthenius — Angelo Anselmo sodali suo S. P. D.

I. Quod tu me Cremonam invitas, perbenevole facis, atque amice; quod ego venire renuam, iure mihi facere videor ac pie. Non me longa fortasse deterreret via, cuius molestiam haud difficulter subirem, et utcumque perferrem. Verum, amabo te, quo animo huiusmodi ingressus iter progredi possem et ultra procedere exclusus tot diversoriis, in quibus ab amantissimis excipi fratribus solitus eram? Quam mihi speciem, quam acerbam, quam luctuosam obiiciendam putas, cum tot florentissima aliquot ante menses Collegia, nunc vidnata, in luctu ac sordibus iacentia praetergredi cogerer, et non absque summo doloris sensu intueri? Tantum certe excidium, vastitatem tantam et horreret animus et oculi ipsi ferre non possent. Itaque, ut vides, iter hoc, siquidem tibi morem gerere vellem, non ad solatium ac levamentum susceptum, sed ad luctum potius institutum a me ac moerorem videretur. Quos porro sensus futuros arbitraris meos, cum Cremonam venissem, nec amplins facultas esset et in Collegio hospitandi, in quo adolescens primis litteris imbutus fui et ad omnem pietatem ea institutione formatus, qua nec optari melior, nec poterat excogitari? Quae quidem, cum a grata et optima civitate agnosceretur, causa fuit, cur alternantibus pro varietate et iniquitate nostrorum temporum vicibus Cremonense Collegium ad extremum usque diem quo de nobis statutum est, et dignitatem retinuerit suam et discipulorum frequentia ac nobilitate floruerit. Nunc vero mutata omnia atque subversa. Collegii incolae

extorres acti, dispersi patres, orba patribus florentissima iuventus, ademptum urbi Societatis amantissimae alienissimo tempore, cum eius opera videri potuit magis necessaria, ad bonas artes comparandas fovendamque pietatem certissimum paratissimumque subsidium. Iam, si quo diuturnior pacata carissimarum rerum possessio fuit, eo acerbior inopinata amissio est, quem doloris sensum, tanquam iacturam repente factam, tantum puncto temporis acceptum detrimentum, tantam tam subito consequutam rerum omnium conversionem in animo excitaturam meo arbitraris? Venit mihi nunc in mentem litterarii illius atrii, quod adolescens quotidie celebravi; memini gymnasiorum illorum, ad quae gradatim admissus studiis cuique convenientibus operam dedi. Recordor in primis Mariani illius sodalitii, in quod cooptatus fui, et vel sola harum rerum commemoratione intimis sensibus graviter vehementerque commoveor. Quid si praesens adessem? quid si haec oculis usurparem? Horum aut omnino vitandus esset aspectus, aut certe non sine lacrimis sustinendus. Quamquam non tam privata causa quam publica commoveor; et eorum, qui consequentur, quibus tantum bonum ereptum fuit, et in posterum omne tempus, nisi Deus opportune provideat, ademptum. Quod enim ad me meosque attinet, est cur consoler, summasque Deo gratias et agam et habeam, quandoquidem saluberrima Societatis institutio, nec mihi, nec fratribus, atque, ut regrediar, neque patri defuit, neque patruo. Ipsa quoque mater optime e Societatis disciplina prodiisse dici potest; quippe quae ab iis nobilissimis sanctissimisque Virginibus, quae isthic *Iesuitae* appellantur, ad pietatem fuit civilemque cultum instituta. Usque adeo salutaris huius disciplinae vena in totam familiam permanavit. Quare si nunc doleo, communem magis, quam privatam vicem doleo, hoc uberrimo fonte obstructo et tam benefica vena intercisa. Satis mihi videor

me tibi meum probasse consilium, quare Cremonam venire renuam, et tot odiosa vitanda putem. Tu vero, quem necessitas isthic constituit, ut potes, te sustenta et spe meliorum temporum consolare. Vale, et mei tuis in sacrificiis memineris, et Deiparae me commendabis.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

II. Satis a me tibi esse factum, quare invitatu tuo Cremonam venire renuam, ex postremis litteris tuis intellexi; sed ex iisdem cognovi te satis non perspicere cur Romae perstem ubi multo plura sint luctus et moeroris argumenta. Recte tu id quidem obiectas, cui in praesentia respondeo. Dico igitur: ad haec quae hic praesentia sunt, prope obdurui, non quod ea minorem doloris sensum excitare per se non debeant, sed quod me consuetudine oculorum et quotidiana assiduitate minus percellant. Scis, uti corpori, ita animo callum obduci. Quamquam in latissima urbe, quae visu acerba sunt, facile vitantur, contra atque id fieri in urbe non ita laxi ambitus commode queat. Et sane hic multa vito, eorumque aspectum fugio, ne intuendo, quasi refricando impositum vulnus recrudescat. Collegia nostra amplius non adeo, una excepta professorum domo, quam, cum a nostris incolatur, nostram duco. Verum ut ut se res habeat, etsi multa Romae odiosa sint, multa tamen sunt, quae dolorem mihi quidem incredibiliter levent et quae frustra Cremonae requirerem. Tu certe non ignoras quantum sacrorum cognitione monumentorum aspectuque delecter. Tot carissimis rebus proximo infortunio nobis ereptis, haec reliqua facta sunt, ex quibus non minus voluptatis, quam levamenti percipio. Haec ego tanquam tabulam aliquam post naufragium mihi relictam duco, quam confestim arripui, cui adhaeresco, a qua, dum vivam, divelli non patiar, non feram, non sinam. Ubinam gentium tot Basilicae, tot sepulcra martyrum, tot

insignia catholicae religionis monumenta sunt? His Roma abundat, reliquae urbes prope destituuntur. Age sis Cremonensia cum Romanis confer. Cremonae *Homobonus, Himerius*, aliquot Deiparae insignia templa et imagines, et hic recensendi finis. Romae vero quem finem numerandi facias? ubi nullo numero illa occurrunt, ubi quocumque incedis, in Sanctorum vestigia pedem ponis. Ego vero nunc praeter opinionem libertatem nactus, quamquam hanc pristinae servituti non antepono, sed tamen libertatem nactus, solus, sine comite, nisi quod meae me cogitationes comitantur, ad sacras, cum libet, basilicas pergo, sacra adeo martyrum coemeteria. Placet omnia curiosius dispicere, notare diligentius, nec ante discedo, quam singulis dispiciendis notandisque animus affatim expletus sit, religionique satisfactum. Et vero non sine pio religionis sensu et intima quadam animi permotione sacra haec adiri inspicique monumenta possunt. Usque adeo adhuc retinent atque intuentibus non adumbratam exhibent, sed expressam priscae sanctitatis effigiem. Quod si profana loca magnorum virorum nobilitata rebus gestis summam ea spectantibus voluptatem afferunt, quanto maiorem animo recte ex christiana disciplina composito sacra haec et veneranda loca allatura censebimus? Haec tibi nota iam sunt, quae saepe spectasti, quae mecum una veneratus es, quae si recolere volueris, non dubito, quin a me sentias et tecum statuas praestare etiam in hac acerbitate temporum Romae esse, oblato hoc tanto ac tam religioso solatio, quam Cremonae eo adempto commorari. Quamquam non est cur plura addam, cum plane sciam tibi Romam in amoribus esse, et tametsi cum optimis parentibus et coniunctissimo fratre vivas, tamen miro huius urbis desiderio teneri. Vale, et me divinae Matri maiorem in modum commenda. Hoc nihil mihi gratius facere poteris, quod ut saepe facias et enixe facias, quantum contendere possum, enixe rogo. Iterum vale.

III. Nae tu solus non es ingenuus, ut quod clausum habes in pectore, promptum habeas in ore, et sensus libere enuncies atque expromas tuos. Ego quoque hac laude censeri puto, ut quod sentio libere proferam atque enunciem. Sic placet agi mecum, et agere cum aliis, omni ablegato fuco qui mutuam hominum consuetudinem perdit amicitiasque corrumpit. Quorsum, inquies, hoc epistolae spectat exordium? Eo nimirum ut narrationem illam tuam de *Leone*, de *Agno*, et de *Peregrino*, quem repente poetam evasisse dixisti, quam mihi fame pene confecto, dum nescio quid parabatur obsonii, obtrudere non dubitasti, mea apud te ingenuum hominem usus ingenuitate, insulsam fabellam et ineptum plane commentum appellem. Nam, amabo te, quid simile *Leoni* immanissimae bestiae cum *Peregrino*, qui nemini nocet, arrepto de via et hospitio peramanter excepto? Idem vero *Peregrinus* lautae mensae adhibitus, non video quid sit, aut quid esse possit, cur cum Agno comparetur. Nullam in rebus tam diiunctis disque paratis inter se inveniri posse analogiam puto, quae una si desit, nihil nisi insulsum quid, atque ineptum reliqui fiat necesse est. Itaque, pace tua, reiectis *Leone* et *Agno*, qui nihil ad rem pertinent, illam tantum amplector commenti huius tui partem, quae est de *Poeta*, in qua aliquid, quod non inconcinne conveniat, reperio, videoque quid sit, quamobrem *Peregrinus* humaniter exceptus liberaliterque tractatus *Poeta* evadere debuerit, hoc est, ut ego interpretor, eius, qui se insigni beneficio affecerit, praeco atque laudator. Nam si ego quoque tuus nunc *Poeta* fiam, erit sane cur hanc personam iure meritoque suscipiam. Memini, et nunquam profecto memoria excidet, cum tu me forte tibi obviam factum in via amantissime complexus officia omnia tua largissime mihi effusissimeque detulisti. Haesi enim vero tanta tam-

que prolixa eximiae humanitatis ac voluntatis significatione incredibiliter commotus, quae eo gratior et opportunior accidit, quod praeter omnem expectationem advenit homini propter recentem calamitatem afflicto, et in summa animi aegritudine constituto. Neque vero illa tantum verba fuerunt plena inanitatis, ut plerumque esse solent, sed quod verbo recepisti, re praestitisti, nullam tibi occasionem elabi passus, qua cum posses, mihi commodare neglexeris. Quare *Poeta* tuus semper ero, hoc est, tam singularem benevolentiam praedicabo, nec committam, ut eius immemor ingratusque coarguar. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

IV. Ea est humanitas tua ac benevolentia singularis, ut plane nesciam, an quisquam tibi in exhauriendis officiis par unquam fuerit aut esse possit. Si quid a te peto, non solum non obsecrari sustines, sed ne orari quidem pateris. Re tantummodo indicata, quod necesse est, (neque enim divinare potes quo quis indigeat) me *dormire* iubes; hoc est quieto ac soluto animo esse vis, et in tua sedulitate, cura, studio, diligentiaque conquiescere. Et vero dormivi saepe, atque, ut aiunt, in utramque aurem dormivi, neque unquam evigilavi, quin quod rogarim, mihi praestitum a te exhibitumque fuerit. Quid vero, cum rem ipsam aggrederis, an quisquam inveniri potest, qui quod suscepit mandatum, diligentius curet et citius ac felicius exsequatur? Rem ita agis meam, ut accuratius agere non posses tuam. Hic enimvero terminus, opinor, erit officio constitutus. Exsecutum mandatum, liberata fides, repraesentata res, officio et amicitiae satis superque factum. Tu vero ipse tibi non satisfacis, et in officia ipsa subtilius inquirens reperis, quo ulterius progrediaris. Non solum tibi gratias haberi non vis, sed ne agi quidem. Extenuas beneficium et negas

quidquam a te amico esse praestitum, quare gratiae debeantur; neque hoc contentus, quod in officio extremum videtur, in beneficii loco ponis, quod tibi de aliis benemerendi oblata occasio fuerit. Itaque, conversa rerum vice, tu gratias agis, tu te habere confirmas, tu te ei, cui operam contuleris, quod opera usus sit tua, devinctum obligatumque profiteris. Quod si quis contradicat, irasceris, nec quemquam pateris tecum de officio contendere. Quandoquidem ita vis, neque ego contendam: dabo manus, et me a te in officiosa contentione victum superatumque profitebor. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

V. Quod facultatem sacros cereos privatum in usum imprimendi a S. P. A. Praefecto Ioanne Archinto obtinendam curaveris, id ego tuae erga me benevolentiae adscribo; quod ille non ante facultatem impertitus sit, quam de merito postulantis cognosceret, id singulari eius prudentiae assigno. Beneficium enim suum bene locare voluit, nec in immerentem conferre. Opportune autem accidit, ut tu ipse, cui merita postulantis satis nota erant, facile docere posses, dignissimum esse, cuius piae ac religiosae petitioni obsequeretur. Qua in re non tam mihi gratum fecisti, quam humanissimo hospiti meo. Hic vero sine me tenere institutum meum; et noli esse tam officiosus, ut alios officiosos esse nolis. Contra igitur atque te velle intelligo pro impetrata facultate summas tibi gratias et ago et habeo. Video te more tuo irasci, quod hoc grati animi officio fungar. Sed irascaris licet: malo enim me tibi in re iusta ac debita molestum esse, quam inofficiosum videri. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Lentio sodali suo S. P. D.

VI. Laetor te illustre in patria tua et vero in aede principe adeptum esse sacerdotium, ita tamen, ut tu pedicam, qua te expedire non valeas, innexam tibi esse nequaquam existimes. Novi te, novi eximiam pietatem tuam, nec dubito quin in suscepta deliberatione permaneas. Memini, nec animo excidere possunt, quae mecum communicasti, cum simul ad Basilicam Sessorianam pergeremus. Haec si tecum recoles, te vel intercepta Societate dignum eius alumnum ostendes, et ea, si Deo placet, restituta, te quoque ad tuos sine cunctatione restitues. Consilium tuum valde probo, qui, quod psalmodia reliqui temporis facit, id optimis studiis impendas. Ego quoque idem consilium amplexus sum, et quod crebrae ad Sacras Basilicas itationes reliqui temporis faciunt, non inaniter tero. Quandoquidem calamus de digitis extortus nobis non est, multa scribo communi *vocationi* consentanea, quae proximorum saluti, si edantur, profutura confido. Societatis existimatio nunc multo quam antea nobis carior esse debet. Hanc tueri et exemplo et quoquo modo possumus, debemus. Ego Romae perstabo, tu vero quod instituta iam vitae ratio postulat, in patria consistes, ita tamen, ut unde discesseris, respectes. De latinis operibus meis quod sollicitus es, amo benevolentiam tuam, eaque cum idoneum tempus advenerit et tranquillior aura spirare coeperit, ad te mittenda curabo. Vale et me, obsecro, Deiparae Virgini commendes, eamque mihi precibus tuis conciliare studeas; hac re nihil mihi gratius facere poteris.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariae Montio Advocato Consistoriali S. P. D.

VII. Quae causa sit, cur posteaquam meam pro domo Lauretana orationem legeris eamque probaris, commentariolum, quod de matre mea conscripsi, flagitaveris, fateor me prorsus ignorare. Quid enim in hoc commentariolo esse potest, quod te virum doctissimum magnopere ad legendum alliciat? In oratione fortasse potuit, cuius argumentum cum per se gravissimum est, tum Oratori opportunitatem affert, qua recte usus, suam, si quam habet, in dicendo facultatem ostendat. Multa enim confirmanda fuerunt, multa infirmanda, multa ex intimo artificio depromenda; agendum interdum acrius et contentius, lenius interdum atque remissius; adhibenda denique vis et verborum et sententiarum, ex quibus coniunctim elatis efflorescit eloquentia. Non hoc eo dico, quod tacite indicare velim has inesse virtutes orationi meae, qui quantum ab eloquentia eiusque artificio absim, mea satis infantia declarat. Sed tamen oratio illa argumenti gravitate, quamquam parem gravitati facundiam orator non attulerit, Iurisconsultum allicere ad legendum potuit; praesertim vero cum ad veterem agendarum causarum forensem rationem conatus illam fuerim consuetudinemque traducere. Commentariolo autem a filio de matre conscripto quid tandem inesse possit, quod postulationem honestet tuam? Argumentum tenue, exile, in quo nihil, praeter unam scriptoris pietatem, laudes. Non enim eam ego nactus sum matrem, quae aut eximiae sanctitatis opinione floruerit, aut rebus praeclare gestis digna exstiterit, cuius memoria posteritati traderetur. Nonnihil utique in ea fuit, quod filio visum est minime negligendum, et unde aliquid ad virtutis incitamentum peti, et ad imitandum proponi domesticis poterat. Hoc satis esse causae arbitratus sum,

cur eius virtutes scribendas susciperem; nec huiusmodi argumentum omnino vacuum bonae frugis existimarem. Verumtamen ne tuam negligere videar voluntatem, ad te, quod flagitasti, mitto commentariolum; verecunde id quidem, cum talem ac tantum virum me mearum conscium ineptiarum habiturum intelligam. Sed, quandoquidem illud publici iuris feci, quae me apud eos, quorum in manus veniet, apud te quoque pietas, opinor, excusabit; et si qua in hoc culpa est aut nimii amoris aut inconsultae deliberationis, hanc pietatem ipsam praestituram confido. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. sodali suo S. P. D.

VIII. Quod commentariolum de matre mea legeris, id fuit benevolentiae; quod praeterea laudaveris, id est huiusmodi, ut ego non tam valde amem benevolentiam, quam cupide amplectar iudicium. Tametsi video nihil te habere debuisse in laudando propositum, praeter unam pietatem; tamen iudicium perplacet et libentissime accipio. Malo enim pius et gratus videri, quam haberi eloquens et disertus. Ceterum huius elucubratio commentarioli mihi iucunda fuit, animumque meum non parum ab iis curis, quibus tandiu conflictati fuimus, cum nobis homines extrema quaeque denunciarent, avocavit. Editio vero, quae statim ab accepta gravissima calamitate consecuta est, mihi multo iucundior fuit; illud enim palam fieri et evulgari summopere gavisus sum, quod de Societate Iesu, ad quam accessi adolescens, sentirem. Tota enim in ea *vocationis*, quam appellamus, meae ratio explicata est. Et sane nunquam erit, ut me suscepti Societatis ineundae consilii poeniteat; immo vero *sanctum hoc et pium,* ut Tridentini Concilii verbis utar, amplexum esse institutum, semper

prae me feram, et *gloriabor in Domino.* Haec autem testata litteris relinquere praesentissimum mihi fuit, maximumque in acerbissima duarum matrum iactura solatium. Quamquam, ut eam, a qua genitus sum, tanquam extinctam lugere nec possum nec debeo, quae nunc apud superos vivit; sic alteram, quae me Deo genuit, adduci non possum, ut extinctam credam, quae in adhuc superstitibus filiis, et in memoria consecuturae posteritatis ob egregia toto terrarum orbe ad Dei gloriam patrata facinora vivet. Vale, et me Deiparae omnium optimae atque amantissimae matri etiam atque etiam commenda, quam si propitiam habebimus, non erit, cur de nostra hac qualicumque orbitate conqueramur. Iterum vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Roberto sodali suo S. P. D.

IX. Cum naufragii mei, sive potius nostri reliquias colligerem, mihi venit ad manus oratio tua funebris de Petro Molinellio clarissimo et scientissimo medico. Eam continuo arripui, cupide legi, vehementer probavi, nec potui, quin sumpto sine cunctatione calamo, epistolam hanc ad te, quamvis aegre admodum, articulis nimirum laborans, manu mea, suavissime Roberte, perscriberem, tibique de singulari eloquentia tua gratularer. Ut statim ab ipso aditu ac vestibulo orationis manifeste patet, quid sis demonstraturus de tanto ac tam excellenti viro, quantaque cum laude ac veritate praedicaturus! In ipsam vero orationem ingressus eam ita circumscribis, ut quae minus insignia in illo erant praetermittas; quae maxime illustria ac splendida persequaris. In exitu autem orationis, te non oratorem solum eloquentem ac disertum, sed pium etiam et religiosum ostendis, probasque eius Societatis alumnum, quae semper non solum excellentiam doctrinae cum reli-

gionis praestantia coniunxit, sed religionem doctrinae praetulit. Atque non ego hic singulas, quae in ea elucent virtutes enumerabo, ordinem, acumen, gravitatem sententiarum, exquisitum delectum verborum, elegantiam etrusci sermonis, qua laude paucos admodum habes pares, neminem certe superiorem; has, inquam, virtutes non commemorabo, propterea quia non sunt propriae huius orationis, sed communes cum reliquis, quas elegantissimas edidisti. Quod vero huius proprium est ac plane singulare praeterire nullo modo possum. Perinde enim de arte medica loqueris ac de peculiari aliqua arte tua, in cuius cognitione studium omne posuisses, loquereris; prorsus ita, ut ipse Molinellius, qui laudatur extinctus, si viveret, certius totam artis suae rationem exponere et planius declarare non potuisset. Quare utramque artem et quam profiteris, et quam laudas amplexus, sic optimi formam medici exprimis, ut optimi etiam formam Oratoris exhibeas, ac te plane talem legenti ostendas qualis a Cicerone omni laude cumulatus requiritur, qui nimirum de quaque re luculenter, apte ac scienter loqui possit. Quid ad hanc laudem adiici queat non video. Culmen enim attigisti eloquentiae, a quo quantum me abesse sincere profiteor, tantum eo te pervenisse maximopere laetor. Vale, meque Deiparae Virgini maiorem in modum commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

X. Communis amicus et amicitia tua dignus Ludovicus Pretus vir rebus omnibus ornatissimus latinas epistolas tuas una cum Zanotti epistolis latinis nuper editas tuo nomine legendas tradidit. Legi, probavi vehementer, miratus sum utriusque elegantiam et eloquentiam. Neuter alterius luminibus officit, alter alterum mirifice illustrat. Quid dicam? legi iam orationes tuas complures etrusco

sermone conscriptas: lego nunc epistolas tuas latina lingua exaratas. Quid igitur dicam? Si iudicium interponere licet meum, sic statuo, te ita latine scribere, ut uni latinae linguae operam dedisse, ita etrusce, ut huic uni studuisse videaris. Eam enim in utraque lingua assecutus es excellentiam, quam paucos admodum consecutos accepimus, qui in una tantum separatim elaborarunt. Quare singularem istam tuam in utraque lingua praestantiam tibi gratulor, quae sic reliqua, quibus in omni doctrinae genere abundas, ornamenta cumulat, ut nulla propemodum iis fieri accessio posse videatur. Vale, et me Deiparae, in qua secundum Deum spem omnem meam posui, enixe quantum contendere potes commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano Fratri Carissimo S. P. D.

XI. Crebris a me litteris flagitasti, carissime frater, ut alterum ac tertium operum mearum volumen ad te mittam; qua in re si tibi nondum obsecutus sum, noli meam accusare voluntatem, sed potius acerbitatem temporum, quae me publico committere sine periculo non patiuntur. Quamquam si quid est, de quo accusare me iure possis, illud, opinor, erit nimiae timiditatis. Et sane non diffiteor me natura timidum esse, sed, quae nunc sunt tempora, ut quidquid increpuerit, metum iniiciat, aliquis videtur esse veniae, aut excusationi locus. Itaque constitui non antea volumina evulgare mea, quam tanta procella detonuerit. In hoc ita animo sum obfirmatus, ut neque amicis aliter suadentibus, neque ipsi S. P. A. Magistro Augustino Richinio, cuius his de rebus ius est et cognitio, consilio acquieverim. Hic, quem praeconem vere appellare possum meum, me urgere non destitit, ego vero ei restiti, nec auctoritate sua pervincere potuit, ut eidem assentirer et

publico me committere auderem. Quare paulisper sustine; cum primum patebit aditus, omni remoto offendiculo, volumina continuo prodibunt et statim ad te recto itinere convolabunt, a quo non dubito quin perbenevole sint atque amanter excipienda. Ceterum cum ea per otium, quo nunc abundo, in manus sumo, multa occurrunt, quibus offendor, multa non satis placent, multa displicent, multa, si liceret, adderem, multa amputarem. Vides profecto illud in artificio oratorio esse praecipuum, ne quid desit, ne quid redundet, ne quid minus politum atque elaboratum in verbis sit, nihil minus rectum ac verum in sententiis; omnia ut apte ac disposite locata sint, omnia luculenter et eleganter elata. Hoc quoque ego video et ex longa multaque opera in his studiis posita plane perspicio. Verum, amabo te, hanc tantam diligentiam, quae ab accurato scriptore praetermitti non debet, adhibere qui potui? in ipsa praesertim editione, quae acriorem curam, mihi quidem multo acerrimam, quam ipsa lucubratio sibi vindicat, requirebat. Illa ego semper nugatoria duxi, quae passim scriptores excusant, difficultatem argumenti, angustias temporis, aliaque huiusmodi prorsus inepta ac puerilia. Si difficile argumentum est, quis te adegit illud tractandum sumere? Si temporis premebaris angustiis, quid prohibuit, quo minus laxarentur, ut tantum esset spatii, quantum ad perficiendum opus erat? Nemo enim sanus committere debet, ut has ob causas stultus existimetur. De difficultate argumentorum, quae tractanda suscepi, nihil dico, propterea quia eorum electio in ea incidit tempora, quae si non omnino pacata et tranquilla (nulla enim Societati nostrae ab ipso exordio pax et tranquillitas fuit, aemulis nunquam cessantibus et aliquid novi semper molientibus) certe non adeo tristia ac turbulenta exstiterunt, ut videre posses, quid optares, et quid oneris tibi imponeres. Loquor de angustiis temporum, in quae ipsa incidit

atque offendit editio. Hac ego excusatione si utar, aliqua, opinor, dignabor venia. Quot curarum, quot molestiarum molibus arctati oppressique fuimus, conscius est orbis terrarum universus. Tot malis impendentibus atque adeo instantibus incohata iam impressio urgenda fuit, festinandum, praecipitandum; nec tamen ante ad exitum perduci potuit, quam turbulentissima tempestate occuparetur. Tunc enim vero non tam turbatum opus, quam prorsus disturbatum putavi. Quid facerem, quo me verterem ignorabam. Verum in gravissima aerumna et consilii inopia constituto sane commodum praesto fuit Augustini Richinii singularis humanitas, qui me bono animo esse iussit, diffidentem erexit, editionemque omnino absolvi voluit; quo nomine maximas illi semper habebo et prae me feram habere gratias. Itaque amicissimi hominis benevolentia confirmatus animum non despondi, parui, impressionemque ad exitum perduxi. Sed aliud est animum non despondere, aliud, quod nostra haec studia maxime flagitant, quieto ac pacato animo esse, ab omnique molestia vacuo, ut sibi constet et munere fungatur suo. Verumtamen hac ego excusatione, quae nec emendicata nec longe petita est, sed e re notissima et recenti emergit, non utor, quandoquidem lucubrationes meas non emendat, nec absolutiores facit, quam certe fuissent, si pacatioribus uti temporibus licuisset. Haec ad te scribo, frater carissime, ne, quae ad me quoquo modo pertinent, ignores, quem semper et studiorum meorum non modo conscium esse volui sed consiliarium etiam in suscipiendis adhibui. Vale, et me Deiparae maiorem, immo vero maximum in modum commenda. Iterum iterumque vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Antonio Morcellio sodali suo S. P. D.

XII. Vehementer gavisus sum cum primum audivi te non modo Romam cogitasse sed deliberasse omnino reverti, atque adeo te iam in viam dedisse. Quantum enim mihi abitus ab urbe tuus moerori, tantum certa deliberatio reditus voluptati fuit. Cum autem et videre te reducem et amplecti licuit, multo gavisus sum magis, quandoquidem uno tempore tot mihi carissima restituta sunt, et dulcis amicus, et fidus sodalis, et iucundissimus olim contubernalis. Cum te patria complexu teneret suo et tanti te faceret, quanti sapientia tua merebatur, equidem miratus sum, subitum illud a te captum fuisse consilium, ut et illam et ea, quae in avita domo cariora esse hominibus solent, relinqueres. Sed nimirum Roma miros quosdam sui amores excitat, quibus ingenuum quemque ac maxime liberalem capi necesse est. Verum tu multo altius in hac tua deliberatione spectasti, nimirum ut te tuis carissimis sodalibus restitueres, et si quando pateret ingressus, non longe a ianua abesses. Quae causa fuit praeter alias a me indicatas, cur ego quoque, cum mihi plura extra Romam domicilia patuerint, Romae perstiterim, ne ab eorum contubernio disiungerer, et, si per aetatem licebit, mihi quoque in pristinum contubernium pateret introitus. Vale et me divinae Matri vehementer commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Angelo Anselmo sodali suo S. P. D.

XIII. Epistolam ad delicatulum quemdam scribere renui, qui non tam aliquid litterarum a me sibi dari, quam, ut animadverti, elogia et praeconia perscribi voluisset. Sed eum sua fefellit opinio, nec profecto est cur a me

litteras exspectet, elogia et praeconia multo minus. Multi sunt, mi Anselme, qui doctrinae famam aucupantur, et docti haberi volunt; sed labores, quibus paratur doctrina, ultro subire et perferre nolunt. Facile omnes a labore, quem natura defugimus, nisi aliquod adsit incitamentum, ad inertiam socordiamque delabimur. Nunc vero quam multa iunioribus nostris incitamenta desunt, quibus incredibiliter etiam tardiores apud nos desidiosioresque commovebantur. His remotis non pauca successerunt, quae animum a rectissimis studiis avocant, et eo, quo non oportet et fortasse minime decet, advocant; opima prandia, lautae coenae, aleae, theatra, ambulationes, otiosi congressus, et similia, quae tantum eo valent, ut optima ingenia corrumpantur, et, si quod erat sal, prorsus infatuetur. Illa vero, quae nunc esse desiit, domestica salutaris disciplina quantum praesidii ad excolendum ingenium ac doctrinam comparandam afferebat! Nigrum illud, ac severum agmen, quo septus eras, sive quid de loco superiore pronunciares, sive quid more scholastico defenderes, quam erat formidandum! prorsus ita, ut eius unius aspectu commovereris, unius verereris iudicium, de una unius approbatione laborares. Nunc vero si qui adsunt et coronam conficiunt, paucis exceptis, pene ridentur; quorum bene multi aut aures minime teretes, aut ingenium afferunt minus acutum, quibus facile, quidquid sive disserueris sive pronunciaveris, italico fere sermone, nam latinus propter difficultatem vitatur, aliqua si id cum venustate habituque corporis egeris, satis superque facias. Quare ut modo se res habent, omni sublata disciplina, cessantibus ad laborem incitamentis, accedentibus ad desidiam invitamentis, quid est quod aut ad privatam doctrinam, aut ad publicam sperari utilitatem possit? Itaque nisi quis ad optima studia aut suapte natura feratur, aut obfirmato animo sit, ut otio ad delicias abuti nolit, ei de sapientia comparanda omnino videtur esse

desperandum. Haec ego saepe cogitans et mecum serio reputans doleo et vehementer angor, tot praeclara ingeniorum lumina sensim obscurari et tot futura reipublicae ornamenta, eique insigniter profutura prorsus interire. Haec ego ad te scribens, non eo scribo quod monitis meis indigeas, quem probe novi iam inde ab adolescentia optimam inivisse studiorum rationem; perstare autem in ea nunc minime dubito, nihil ut de rectissima instituta consuetudine vel intermittas vel remittas. Perge igitur, ut facis, et strenuam in bonis artibus operam pone. Graecis et latinis litteris eruditus has colito, quae si adolescentiam ornarunt tuam, provectiorem aetatem maxime commendabunt. Urge graviores disciplinas, quarum curriculum in Collegio Romano summa cum laude prope confecisti. Totum denique hoc otium, quo nunc inviti abundamus, confer ad ea studia, quae nostri instituti sunt, ut, restituta Societate, quod spero, te tuis, optimis instructus disciplinis, restituas. Vale, et me etiam atque etiam divinae Matri commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Alberto de Albertis sodali suo S. P. D.

XIV. Ego vero, pro nostra veteri amicitia summaque animorum coniunctione ad te quam saepissime scriberem, et vel sexcentas in anno litteras darem: sed quid faciam? manu mea non queo, et librarii copia non nisi rarissime suppetit. In hoc novo vitae genere, quod amplecti coacti fuimus, omnia contra atque assueveramus, pecunia transigenda sunt. Quare ad illud consilium me verti ut nulla impensa mercem commutarem. Obtulit se mihi perbono iuvenis ingenio et ab humanioribus litteris non alieno, qui aliquid in arte Rhetorica, me doctore, proficere se velle dixit. Ego statim assensus sum, hac conditione, ut ego

ei eloquentiae praecepta traderem, ille mihi scribendi operam praeberet. Res perbelle aliquot dies successit, sed, ut genus hoc inconstans est, multi iam dies abierunt, quibus eius opera destituor. Quare si ad te rarius quam vellem et amicitia nostra postulat, scribo, noli meam accusare voluntatem, noli amorem illum suspicari, qui primum nos nobis conciliavit, refrixisse; calet adhuc, nec vero unquam refrigescet, etiamsi mutuis ac frequentibus litterarum officiis non foveatur. Illud velim tibi persuadeas, quod vere affirmo; Roma discedens magnum tui desiderium reliquisti cum omnibus amicis tuis, tum mihi praesertim, quod quidem crebro dandis accipiendisque epistolis leniri potest, tolli omnino non potest. Una praesentia tua desiderium, quod in dies absentia gravius efficit, prorsus tolleret. Quamquam tu quidem, ut cognovi ex litteris tuis, mihi videris tibi pedicas nectere, quibus constrictus perstare Venetiis cogaris. De pensione loboras annua, quam dicis reditum morari tuum; sed haec absentibus non persolvitur, reduci fortasse persolvetur. Novis succedentibus temporibus res, ut speramus, melius ire incipient, et nova, si Deus annuet ut aequitas videtur posse postulare, ratio fortasse instituetur. Ut nunc eunt, de pensione nihil certi possum tibi perscribere. Quamquam aegre admodum adducor ut credam te ab opulento fratre obtinere non posse, quo Romae commode esse possis. De convictu non laboras minus; sed de hoc non est cur in praesentia cogites. Omnis obstructus est aditus, nihil ut timendum sit magis, quam ut prorsus dissolvatur. Id enim initis contra nos consiliis maxime consentaneum est ut mirandum magis sit romanum, et reliquos ab initio fuisse constitutos, quam si nunc omnes disturbentur. At, inquis, Romae quid agam? id quod agis Venetiis; nihil, prorsus nihil, ubi tamen, si meis parere consiliis voluisses, certe otio locus non esset. Quare reliquum est ut serviamus tempori, hoc est

Deo temporum moderatori obsequamur, speremus meliora, et hac spe consolemur. Quae quidem si, non dicam se ostentabunt, sed vel *a longe* tantummodo ostendent, quam citissime, non exspectata librarii opera, te per litteras faciam certiorem. Vale, et si me Deiparae commendabis, nihil mihi gratius facere poteris.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Archinto S. P. A. Praefecto S. P. D.

XV. Mirabar quid esset, quod aures mihi praeter solitum tinnirent, et nescio quid insusurrari videretur, cuius intelligentiam non assequebar. Res haec, fateor, anxium me diu habuit atque sollicitum: sed sollicitudinem omnem ademit Maria Ruggia praestantissima femina, quam scio a te ob egregias eius virtutes plurimi fieri. Ab ea enim didici te, apud illam cum esses, multa verba fecisse de me, multa de meis fuisse laudibus persecutum. Tunc enim vero, collatis temporibus, comperi quid tinnitus ille indicaret. Hic vero quid dicam non reperio. Verecundor equidem. Nihil enim in hac mea ingenii et doctrinae mediocritate agnosco, quod tu, vir praestantissime, laude dignum iure possis existimare. Multo autem minus suspicari unquam poteram, ita me a te fuisse laudatum, ut laudis sonitus in summa disiunctione locorum ad aures usque meas perveniret. Iam vero quod tu pro tua erga me singulari humanitate in summa argumenti inopia fecisti, quanto iustius a me fiet in summa laudum tuarum copia atque ubertate? qui statim atque ad Urbem accessisti, tibi omnium ordinum existimationem conciliasti, ut et propter eximiam prudentiam et propter reliquas egregias virtutes nullo non gravissimo et amplissimo munere dignissimus fueris iudicatus. Neque vero commune iudicium munerum, quibus functus es et nunc fungeris, admi-

nistratio fefellit. Quare vides, opinor, si laudes tuas persequi vellem facile efficere possem ut non solum tibi ambae tinnirent aures, sed eorum sonitus multo longius latiusque pertineret. Quamquam is es, qui laudes magis promereri studeas, quam a quoquam ames praedicari. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. S. R. E. Cardinali S. P. D.

XVI. Etsi in commendationis officio auctoritas in primis et gratia in eo, qui alterum commendat, requiratur, ne aut inanis commendatio sit, aut nimis audax videatur; ego tamen has ad te commendatitias dare litteras non dubitavi, tua confisus singulari humanitate, qua omnibus sive pro se rogandi, sive pro aliis deprecandi ad te patere semper aditum voluisti. Itaque tibi etiam atque etiam iuvenem N. N. commendo; idque eo fidentius facio, quod scio illum non solum tibi notum esse, sed insigni etiam a te affectum beneficio; quod mercedem, quae vivo patri famulo tuo persolvebatur, eo extincto, pensitari filio iusseris. Hac tua adiutus liberalitate, quam coeperat dare litteris operam, non intermisit. Itaque bonis artibus studuit; Rhetorem, Philosophum, Iurisconsultum audivit, atque in his facultatibus pro ingenii sui modo profecit. Mihi quoque meis in studiis aliquam operam praestitit. Non pauca, quae latino sermone dictavi, excepit, atque hoc officio suo laborem in scribendo meum non mediocrem allevavit. Hac usus exercitatione aliquid in bonarum artium studio proficere potuit, multo plus certe profecturus si apud alium quemvis et praestantioris ingenii, et excellentioris doctrinae operam posuisset, sed tamen aliquid profecit; quamquam non tam ob hoc qualecumque mihi ab eo praestitum officium, quam ob eius virtutes singularemque pietatem eum tibi commendo, ut plane dignus sit,

quem tuo favore, benevolentiaque complectaris. Has porro litteras si pro nulla dantis neque auctoritate neque gratia, tanquam commendatitias accipere neges, non repugno, dummodo illud pro certo habeas, me his dandis uni dedisse, neque vero abnuere potuisse testimonium veritati. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Petro Gravinae sodali suo S. P. D.

XVII. Casu nescio quo delatus ad convivium quoddam vestrum, haesi enim vero subito accumbentium aspectu praesentiaque commotus, et vero etiam pertimui, ne importunus interpellator accesserim. Equidem si tale aliquid suspicatus essem, nunquam profecto tam audax fuissem, ut conviva non vocatus in convivium irrumperem. Qui enim mihi locus esse poterat, tot inter viros principes, quot illi mensae assidebatis? Aderat in primis Didacus Pescara, qui magnifice exstruendum convivium ornandumque curarat. Aderat Sanchez de Luna summo vir ingenio, excellenti doctrina, et, quod omnem superat laudem, triplici honestissima de causa exilio nobilitatus. Aderant tres Spinellii lectissimi et coniunctissimi fratres, nihil ut unanime magis, et coniunctius esse possit. Nam quid dicam de fratribus de Marco? ac de Xaverio praesertim, qui cum mihi vetus amicitia, usus et familiaritas est. Quid de reliquis? dignis summo loco, quo nati sunt, dignis illa ipsa epulari accubatione. Itaque tales cum essetis, electissimi omnes et nobilissimi, pudor me certe meus ab omni aditu prohibuisset, pedemque non repressisset modo sed etiam referre coegisset. Verum pro singulari omnium assidentium humanitate benevolentissime exceptus et amantissime invitatus assedi ego quoque, et secundae mensae particeps fui, quod cum mihi perhonorificum duxi, tum etiam pergra-

tum accidit perque iucundam. Tu vero multa primum more tuo mecum festive iocatus sermonem de sacris coemeteriis induxisti, quo sermone nescio, an quidquam convenientius ipsi convivio induci a te potuerit, quod mihi quidem imaginem illorum exhibere visum est, quae a veteribus Christianis in ipsis coemeteriis celebrabantur et *Agapae* appellabantur, hoc est convivia caritatis. Caritas enim illa, quae vos in Societate Iesu coniunxit, ad hoc convivium attraxit. De Societate vero, quam multa verba facta sunt, quam plena incensissimi desiderii! ut quam citissime pristinum in statum restitueretur. Compellatio vero illa saepe iterata me in primis vehementer perculit. *Ecquid censes? Ecquid speras de restitutione nostra? quantocyusne ad lanas nostras redibimus?* Ex qua intellexi quam arcto caritatis vinculo Societati adstricti teneremini, quod nullo modo dissolvi, nec laxari potuit. Quare huius ego vestri convivii meminero semper, cuius illa ipsa caritas, quae me vobis fratrem fecit, participem effecit. Neque vero unquam fortuito illi meo adventui non habebo gratias, qui mihi nil talia cogitanti tantam obtulit opportunitatem quam mea mihi certe modestia invidisset. Dicam amplius; voluissem illo die bene ac naviter esse impudentem, et os durissimum habere, quo me vobis obtruderem non ut conviva (scis quam parce vescar) sed tantum ut convivio interessem, ne iucundissima illa, quam ex congressu vestro percepi, voluptate privarer. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Iacobo Pegnae sodali suo S. P. D.

XVIII. Si nullum tuorum in me meritorum exstare patiar testimonium, suavissime Pegna, ingratus sim. Itaque non committam ut neque tu, neque quisquam, neque vero hae ipsae litterae de ingrati animi vitio, in quo ut

vere scribit ad Atticum Tullius, *nihil mali non inest*, accusare me possint. Vix enim ab accepta gravissima calamitate, carissimis sodalibus dispersis et aliis aliam in partem dilapsis, congredi nobiscum et colloqui licuit, tu me domum tuam peramanter invitasti, ut tecum essem, tecum viverem, tuaque iucundissima consuetudine fruerer, ne qui coniuncti sodalitate fueramus, essemus domicilio disiuncti. Addidisti praeterea id nolle te ullo meo sumptu atque impendio fieri, quod cum ipsum auxit beneficium, tum liberalem animi tui munificentiam declaravit. Ego vero tam prolixam conditionem nullo modo acceptassem, sed tamen ita oblatam intellexi, ut quod verbis recepisses, id fuisses re ipsa praestiturus. Postremo ne quid ad tantam beneficentiam addi posset, asseverasti, si quid forte incideret, quamobrem ab hospite, quo nunc humanissimo utor, digredi cogerer, tunc enim vero iniuriam tibi a me factum iri, si, cum mihi plura hospitia pateant, alio cogitarem, et nequaquam domum tuam ulla sine cunctatione diverterem. Interea et te et omnia tua in mea potestate esse, quibus tanquam propriis uterer, si liberet, et quandocumque videretur. Vides, opinor, planeque perspicis, (quamquam beneficia extenuare verbis benefici homines ac munifici solent) quanti tua haec ab eo, qui beneficentiam norit momentis pensitare suis, facienda sint. Hoc videre te puto, sed neque non videre te arbitror tanti a me fieri, quanti merentur. Velim igitur persuasum habeas, et beneficia tua non solum apud aequum et idoneum aestimatorem posuisse, sed etiam apud gratum hominem, qui nihil malit, quam aliquam sibi referendae gratiae occasionem dari, collocasse. Id autem, quod maxime opto, experiri si volueris, et mihi gratissimum facies, et beneficia ipse tua nova accessione cumulabis. Vale, et me Deiparae commenda, quam propitiam tibi apprecor et fore confido. Iterum vale.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. sodali suo
S. P. D.

XIX. Rem difficilem postulasti, et quam ego quidem ut tibi in omnibus obsequi maxime cupiam, negare cogor. Nam, amabo te, qui possum in odioso, quod mihi proponis, argumento sine acerbissimo doloris sensu versari, qui inde emergat necesse est, unde scribendi materia peti omnino debet. Postulas nimirum, ut non modo refricem, sed exasperem vulnus, quod recens est, quod tangi renuit, quod nondum cicatricem obduxit, nec vero unquam quoad vita suppeditabit, obducet. Cum mihi Societatis excidium proponitur, horret animus, refugit mens, et aures ipsae vel solam tantae ac tam calamitosae rei commemorationem aversantur. Vis praeterea epistolam nuncupatoriam confici eius nomine, qui ex hoc ipso excidio lucrum fecit, et ex ea, quam passi sumus, iactura magnum privatim cepit emolumentum. Cui autem epistola inscribenda est? Ei nimirum, qui eodem in questu compendioque versatur, ut non dicam laetari, sed certe de nostro non magnopere detrimento laborare debeat. Praeclare enim vero, si quid in latine scribendo possum, quod uni acceptum refero Societati, id ei commodare, qui mea hac qualicumque facultate contra ipsam Societatem abuti possit. Ego sane, quod didici, cuilibet sine invidia communico; communicare autem cum alterius damno atque iniuria nec possum nec debeo. Id enim mirifice valeret ad eam confirmandam opinionem, quam adversarii nostri invalescere maximopere cupiunt; supervacaneam iam fuisse Societatis operam, quandoquidem ea etiam intercepta optimi latini scriptores minime desiderantur. Non quod ego scriptor sim optimus, qui vix ac ne vix quidem mediocris sum; sed quia, quibus nostra calamitas utilitati fuit, hanc ipsam mediocritatem, quo tempori velificarent et commodis ser-

virent suis, supra veritatem efferrent, et incredibiliter exaggerarent. Quare miror sane tibi in mentem venisse id a me postulare quod contra atque assuevi gravissimis adductus rationibus negare cogerer. Tibi enim satis notus esse debui, et quo semper erga Societatem animo fuerim, ignorare non poteras. Verum non est cur hac de re neque ego, neque tu magnopere angamur. Nam regius iste tuus bibliothecarius, pro quo laboras, contendere si volet, multo elegantiorem, quam ego, et tu ad regium gymnasiarcham illum suum, cui plurimum se debere affirmat, nuncupatoriam conficere epistolam poterit. Neque enim credibile est ne quam suscepit personam, sustinere cum dignitate non queat. Ego vero mihi viderer ei iniuriam facere, si dubitarem, quin paucas latinas periodos extricare sciat, quibus demandati sibi muneris rationem reddat, eiusque gratiam, cui dedere se vult, aucupetur. His de causis ignoscas, oro, si hac in re tibi gratificari recusem, qui si quidvis aliud a me postulasses, certe obtinuisses. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri S. P. D.

XX. Nescio quo pacto cum me ad respondendum epistolis tuis comparo et more meo ante Ciceronis epistolas, quam aliquid scripto mandem, lego, multa legenti sponte occurrunt, quae perbelle non tam in res nostras, quam in tuas sententias cadant, ut ab ipso expressa Cicerone videantur. Scribis te nullo modo levare posse aegritudinem tuam; hanc in dies fieri graviorem; nihil non metuere; nihil esse, quod his temporibus iure formidandum non sit. Sic tu; Cicero autem his verbis: *Ego vero minime miror te graviter ferre, quae acciderunt, et plura vereri periculi genera. Quis enim illud timuisset, quod neque acciderat*

antea, neque videbatur natura ferre, ut accidere posset. Omnia igitur metuenda. Ea vero sunt consecuta, ut magis mirum sit illa accidere potuisse, quam nos ea vidisse non futura, nec homines cum essemus, divinare non potuisse. Vides, opinor, haec adamussim quadrare sententiis tuis, et iis ipsis, quae ad me proxime a te perscriptae sunt, mirum in modum respondere. Quid igitur? abiicere ne animum debebimus? rebus nostris prorsus diffidere? omnino desperare? nos totos angoribus, moeroribus, aegritudini, et si quid est aliud quo conficiamur, dedere? Nequaquam. Immo vero animum sumere, modum aegritudini, moerori, angoribus constituere, sperare meliora, et ex ipsis adversis, quibus afflictati fuimus, spem meliorum temporum confirmare. Novimus enim, et facta omnium inter se omnis aetatis eventuum contentione comperimus, sic a Deo esse provisum, ut adversis prospera succedant, et prospera adversis excipiantur. His porro hunc in modum alternantibus, sic animi nostri affectiones divinum Numen providentissimo consilio temperavit, ut neque prosperis nimium erigeremur, neque plus iusto affligeremur adversis; sed medii inter utrumque extremum constituti modum teneremus. Cum igitur tot adversa ac tristia praecesserint, cur secunda ac laeta non consequantur? Certe ad illa quod attinet, eo usque pervenerunt, ut culmen attigisse dici possint. Quid ni hac ipsa de causa regrediantur, et incipiant referri in melius, quandoquidem prolapsa in peius, amplius non habeant, quo ulterius ruant ac prolabantur? His adde conversionem inclinationemque temporum, quae plurimum his in rebus momenti habent; adde humanae inconstantiam voluntatis, quae ut illa nunquam diu eodem in statu, sic ista in eadem deliberatione perstat. Verum ut ad sapientissimi viri paulo ante allata verba te revocem, ex iis ipsis verbis, quae aegritudini suffragari videntur tuae, libet arguere contra te et inde moerori le-

vamentum elicere, unde moeror ipse videtur erumpere. Etenim si quae acciderunt, *natura*, ut acciderent, *non ferebat,* quid est, cur ea quae natura fert, eventura non ominemur? Ego vero semper multo difficilius iudicavi, ea evenire potuisse, quae metuebamus, quam nunc quae speramus eventura. Illa nulla ratio suadebat, ut ii plus et certe rectius vidisse existimandi sint, qui ea futura non praeviderunt, quam qui futura se praevidisse gloriantur. *Natura,* quam in coniecturis de eventibus capiendis ducem sequimur, apertissimis tunc vocibus reclamitabat et repugnabat acerrime. Nunc vero multo secus; favet, adstipulatur, patrocinatur, nihil ut ipsi convenientius fieri et nostra congruentius restitutione possit. Omnia, quae in optima causa expetenda sunt, in nostra minime desiderantur; omnia nobiscum faciunt, omnia mirifice conspirant. Ratio, aequitas, ius commune, privatum, civile, sacrum, mixtum ex utroque, bonorum omnium vox, opinio, vota, studium, consensus, et ille denique, quem magni momenti esse duco, quamquam nobis adversari videatur, inimicorum, ne res in integrum restituantur, pavor. Si igitur ea acciderunt, quae nulla probabili de causa, repugnante natura, reclamante ratione, futura timere non poteramus, quare accidere ea posse non arbitrabimur, et sperare futura non poterimus, quae tanta tantarum rerum conspiratio non modo futura suadet, sed etiam persuadet? Sed quomodo tandem cumque res casurae sint, quas divino permittere debemus arbitrio, illud maneat; nos angoribus dedere nequaquam debere, qui nihil ad communem causam proficiunt, valetudini nocent, nosque supremi Numinis voluntati, cui repugnare nefas est, minus obsequentes faciunt. Vale, et me Deiparae Virgini commenda; quod si feceris, magno me beneficio affeceris.

Iosephus Marianus Parthenius — Vincentio L. B. de Argento S. P. D.

XXI. Orationem, quae in funere Ludovici XV Galliarum Regis Christianissimi habita fuit in Basilica Lateranensi et a te vehementer postulatur, invitus facio, ut ad te mittam. Cur autem invitus, causa est quod illam ego scripsi, alius pronunciavit. Atque hoc ego quidem nunquam certe vulgassem (neque enim ex hac lucubratiuncula crescere volo, qui si quid sum, plures iam editae orationes meae satis declarant) nisi ille ipse, a quo pronunciata fuit pro singulari sua ingenuitate ac modestia scriptoris nomen edidisset. Itaque hanc tu orationem leges et communibus amicis legendam trades. Reliquae orationes meae, quas multi ex hoc Collegio cupide expetunt, impressae iam sunt, sed propter adversa tempora delitescunt. Auctor enim mavult videri nimium timidus, quam parum cautus. Sed tamen confido fore tuum ante in Germaniam reditum ut tranquilliora succedant; tum vero earum tibi copia, quam voles, fiet. Hanc habe modo tanquam reliquarum pignus, quae tametsi regio non insignitae sint nomine, Deipara tamen, cui inscriptae sunt, annuente, serius ocyus e latibulis in quibus nunc delitescunt in publicum lucemque prodibunt. Interim summas tibi ac sodalibus tuis habeo gratias, quod mea qualicumque scribendi delectari mediocritate videmini. Quamquam vere ut dicam, plus mihi hoc in genere tribuitis quam merear. Ego contra pro vestro in Societatem studio nunquam certe vobis plus, quam mereamini, tribuam, quod cum semper ostendistis, tum maxime in gravissima, qua oppressa fuit calamitate, palam atque aperte declarastis. Quare, si mihi antea cari fuistis, nunc profecto cariores estis. Itaque quoad vivam, huius Collegii vestri cum grata recordatione meminero. Tu vero in primis quem propter egre-

gias virtutes singularemque pietatem maxime diligo nunquam memoria excides, nec ulla erit aut tanta longinquitas locorum, aut diuturnitas temporum, quae tam eximiae virtutis speciem ex animo meo delere possit. Vale, et si me amas Deiparae Virgini eius clientem minimum enixe commenda. Iterum vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariae Asclepio sodali suo S. P. D.

XXII. Cum mihi non obscure significaveris miratum esse te, quae causa fuerit, cur funebrem Ludovici XV Galliarum Regis laudationem scribere in animum induxerim, dabis, opinor, hanc veniam, ut facti huius mei, quo mirari desinas, rationem reddam, ac breviter exponam. Scito igitur hanc provinciam mihi primum non fuisse demandatam, sed alteri, qui cum summis me sibi devinctum nominibus haberet, summis precibus institit, ut id negotii susciperem, cui quidem vehementer instanti et enixe flagitanti, repugnare omnino non potui. Mihi enim videbar, si secus fecissem, ingrati animi notam subire, qua nihil odi et aversor magis. Itaque cessi amico de me optime merito, eique hac in re morem gessi, unum sequutus officium, quod apud me tantum valuit, ut omnem deliberandi quid agerem, quid expediret, quid deceret, potestatem ademerit. Quod vero consilium in acceptando mandato mihi defuit, in exequendo certe adfuit. Lubricum erat argumentum, anceps, ac difficile; sed a me tractatum est citra omnem offensionem, et scopulos, in quos alii, qui eodem in argumento versati sunt, turpiter impegerunt, silentio pressi; multa ne simularem, dissimulavi. Nullum de religione, de pietate, de moribus verbum. Illa quoque, quae de Regis obitu, eiusque adiunctis persequutus sum, omisissem, si ea ad me rumor tantum detulisset; sed

cum Parisiensem Antistitem virum sanctissimum atque integerrimum auctorem haberem, cuius prope ipsa verba exscripsi, omittenda in oratione, ne quid, quod vere dici poterat, a me sileretur, nequaquam existimavi. Ego sane nihil turpius unquam duxi sordida illa atque abiecta eloquentia, quae principibus viris lenocinatur, et si quid huiusmodi olim forte excidit, in mearum editione orationum correxi. In hac vero, quod ita, uti dico, stilum attemperarim, et oratio ipsa declarat et ephemerides publicae, quibus auctoris *prudentia* laudatur, testantur. Verum quo admiratio tua spectarit, oppido vidi; sed si recte animadvertere velimus, est cur Ludovico ignoscamus. Nihil in Societatem nostram sua sponte sanxit; omnia fecit invitus. Sica illa ab homine scelerato regio intentata pectori sic animum debilitavit, ut robur omne prorsus infregerit. Me certe mea in Societatem pietas ab hoc dehortata argumento fuisset; sed in officiorum contentione, amico, cui plurimum debebam, gratificandi studium vicit, sive potius, ut dixi, omnem optandi, eligendique potestatem eripuit. Tu vero, qui et Mathematicus es et tota Europa ingenii tui editis monumentis celeberrimus, noli officia mathematica norma metiri, noli ea ad infinitas illas numerorum rationes exigere, ut unus si te fugiat, tota intercidat summa. Illa potius nostrae huius officiosae rationis summa sit, ut si quid a me in subductione officiorum peccatum est, id homini grato et facili, qui omnibus satisfacere cupit, condones. Vale et me Deiparae commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Augustino Ricchinio S. P. A. Magistro S. P. D.

XXIII. Benevolentia erga me tua plane singularis et quam habes de mea scribendi mediocritate existimatio, ab

hac ipsa, ut opinor, benevolentia profecta, effecit, ut orationem, quae nuper edita fuit, a me postulares, cuius ego exemplum statim atque mihi traditum fuit, ad te perferendum curavi. Utinam et haec et reliquae orationes meae tales essent, quales esse amantissimis saepe verbis significasti. Utinam et tanti viri iudicio responderent. Tunc enim vero amplissimum me laborum meorum fructum consequutum putarem. Video enim quam difficile sit probari viro docto, ac tibi praesertim, cui ad singularem doctrinam singularis accedit latini sermonis eloquentia; quae duo pauci admodum norunt componere, non quia disiuncta sint inter se, (quid enim coniunctum magis, quam verba sententiis) sed quia multo, quam homines vulgo opinantur, haec operosior res est et incredibile quoddam studium diligentiamque requirit. Tu vero utraque laude praecellis, ut et doctissimus sis, et scriptor elegantissimus habearis. Latinus commentarius ille tuus de B. Barbadico documento est, quem ego non sine admiratione legi, ut plane nescirem, quid admirarer magis, doctrinamne, an elegantiam venustatemque linguae. Nam cum id muneris habeas, ut ea, quae in quaque facultate eduntur, cognoscere debeas, multa legere cogeris, quae foeditate sermonis homini politissimo non tam fastidium creent, quam puram dictionem prava locutione corrumpant. Tu vero sic tuo in munere versatus es, ut certissimam de doctrina sententiam interposueris, et nihil tibi de linguae sordibus adhaeserit. Hoc meum de te et luculentissimo illo commentario tuo iudicium est, quod sic accipias velim, non ut a viro docto pronunciatum, qui de alienis scriptis iudicare possit, sed tantum ab eo, qui tametsi neque doctrinae copia, neque sermonis elegantia censeatur, nonnihil tamen operae in utroque posuit, et quod didicit, si minus probabili, tolerabili saltem ratione efferret. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Riccardo Borgiae Lateranensis Basilicae Canonico S. P. D.

XXIV. Saepe diu mecum multumque reputavi, quid causae esse arbitrarer, cur amicitia nostra tam arcte fuerit conglutinata, ut difficile admodum dissolvi posse videatur, nec quidquam reperiebam, quod mihi plane satisfaceret. In primis quod mea opera, cum tibi sese occasio obtulit, usus sis, id huiusmodi fuit, ut gratiis agendis, si vero abundare voluisses, habendis, nullo negotio ab omni te expedire officio potuisses. Quod enim tibi praestiti nullius prope momenti est, nec magni sane faciendum. Itaque laborem si qui impendendus fuit nequaquam vendito nec magnopere exaggero. Praetermitto hoc loco commemorare decora atque ornamenta vetustissimae ac nobilissimae familiae tuae, quae ad rem praesentem non faciunt. Ista enim generosa nobilitas me non admodum movet, quae a maioribus tradita non propria virtute comparata eo tantum valet ut in aliena potius, quam in privata laude ponenda sit. Adde quod suapte natura insolens et superba est, ut quos par nobilitas non commendet fere respuat atque fastidiat. Haec igitur qualiscumque ea fuerit, nihil ad hanc subitam contulisse coniunctionem existimanda est. Aetas vero utriusque nostrum valde dispar; tu vernante florens iuventa, ego contra provectus annis ac senectutis fines iampridem ingressus. Iam si, ut est in vetere proverbio *Pares cum paribus*, hoc est aequales cum aequalibus facile congregantur, dispar certe aetas nos inter nos dissociare potius quam consociare debuit. Nam de studiis quid dicam? quorum magna vis est ad conciliandos animos coniungendasque amicitias. Verum cum nostra studia longe dissimillima sint, repeti certe hinc coniunctionis nostrae origo non potest. Non tu quidem qui acri ingenio praeditus es ab omni politiori doctrina abhorres, sed alia tu se-

queris, alia ego studia consector. Tu gallicis litteris delectaris, quas ego quidem non contemno, sed nunquam suspexi, ut eas ad doctrinam comparandam necessarias duxerim. Ego contra capior latinis, a quibus omnia ad omnem doctrinam adiumenta suppeditantur. Iam si munera quibus occupamur consideremus, tam disiuncta sunt inter se, ut hanc parere coniuntionem non potuerint. Tu illustri auctus sacerdotio sacra celebras subsellia, divinis laudibus alternatim concinendis intentus. Ego pluteo affixus meo meis litterulis intentus longe dissimillima occupatione distineor. His accedit locorum longinquitas, quae in laxissimi ambitus urbe nos inter nos convenire non patitur, ut plures abeant menses, quin alter alterum obvium in via habeat; itaque mutuis caremus alloquiis, congressibusque prohibemur, qui plurimum ad alendam fovendamque amicitiam valent. Quae igitur causa fuit cur haec nostra amicitia tam cito ac tam arcte coaluerit, ut stabilem ac perpetuam futuram dubitare non possimus? Certe aliqua causa esse debuit, ne temere exorta et nullo inita consilio videatur. Quid multa? Dicam equidem; ingenuitas tua non ea, inquam, quae ex nobilissima familia in te profluxit, sed quae ex animo tuo aperto et sincero proficiscitur. Una nostrae causa et conciliatrix amicitiae fuit. Hanc ego, cum primum affari te licuit, animadverti, hanc multo certius perspexi cum palam et sincere sponte tua edidisti, quod quivis alius aut simulasset aut certe dissimulasset. Intelligis quid velim indicare, in quo quidem non mihi gratum fecisti, gratius enim fecisses si tacuisses, sed tamen mirum in modum mihi placuit sincera illa tua confessio, quae tantum affuit ut existimationi tuae obfuerit, ut etiam ingenuitatis ac modestiae commendatione profuerit; qua quidem laude cum ego quoque commendari maxime cupiam, mirandum non est si animos similiter affectos eadem virtus inter se coniunxerit et copularit. Haec habui quae ad te de nostra ami-

citia scriberem, cuius suavissimos fructus, si propter quas attuli causas capere non possumus, satis illud nobis sit eam et recte fuisse institutam et ab una virtute profectam, ut proinde nullis indigeat adminiculis, quibus firma ac stabilis perseveret. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Angelo Anselmo sodali suo S. P. D.

XXV. Cum ad me de matris tuae optimae feminae obitu perlatus est nuncius, tantum cepi dolorem, quantum, te uno excepto, alium fortasse neminem cepisse vere mihi posse videor affirmare. Matris obitus quam acerbum moerorem filio afferat, proprio didici experimento; quod quidem tu non ignoras, luctus mei in simili eventu ac moeroris probe conscius. Porro ex me coniecturam capio de te, cui aeque, atque mea mihi, tua tibi cara mater erat. Hoc autem acerbior moeror tuus esse debuit, quod materno funeri interfuisti, quo nihil potest ad exaggerandum dolorem esse vehementius. Me certe si quis casus materni funeris spectatorem constituisset, dolor propemodum exanimasset. Si hoc est fracti esse animi, fateor imbecillitatem meam; si pii, nemo certe me reprehendet. Quibus enim iustius pietas impendi debet, quam parentibus, quibus nulla par unquam gratia referri potest? Verum ut te aliquo modo consoler, quam dolori meo adhibui medicinam, tuo afferam. Illa me primum cogitatio in materno obitu valde consolata est, quod ex hoc pestifero saeculo emigrasset et in supernum ac coeleste domicilium immigrasset. Hoc spectata eius pietas, hoc religio, hoc reliquae virtutes, quibus insigniter ornata erat, certum prope mihi exploratumque faciebant. Qua de causa ita de matris obitu dolui, ut mihi etiam esse laetandum viderem, cum vitam hanc fluxam et caducam beatissima atque immortali commutas-

set. Tu vero quin eadem uti possis consolatione non dubito, ut non sit, cur de matris interitu gravius, quam par est, doleas, sed potius ut sit, quae eius pietas ac religio fuit, cur laeteris et felicem nunc ac beatam putes. Nos infelices, nos miseri, qui gravissimae calamitati superstites, orbati altera carissima matre novis in dies aerumnis ac tempestatibus obiicimur, ut extinctorum vicem non lugere, sed invidere debeamus! Altera res, quae desiderium meum non mediocriter levat, illa fuit quod, quo citius ad beatam ac supernam quietem evaderet, eius animum modis omnibus expiandum curavi. Hanc ut tu curam suscipias non hortor, quam tua te sponte suscepisse iam mihi persuadeo. Quare me in hoc pio officio adiutorem solummodo spondeo. De cari igitur capitis amissione sic doleas, ut cogites, cum Societati Iesu nomen dedisti, te non solum te ipsum, sed omnia, quae hominibus cariora sunt, in his optatissimam matrem, Deo obtulisse, ad quem cum se receperit, vides, opinor, laetitiae potius quam moerori esse locum. Vale, et me Deiparae omnium matrum longe amantissimae commenda, quae una secundum Deum orbitatem nostram et tueri potest et solari.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XXVI. Cum Deo visum fuit nostra nos orbare matre optima femina, quam mirifice dilexi, illud singulari Dei beneficio assignavi, ut eius funeri, quod me propemodum exanimasset, non interfuerim. Sed qui me Deus, cuius nutu humanae vicissitudines reguntur, acerbissimo casui eripuit, alteri valde acerbo obiecit, spectatoremque patris obitus esse voluit. Hic est hospes meus Clemens Orlandus mihi subita morte ereptus et me praesente atque inspectante ereptus. Hunc ego, si patrem appello, iure appello, ut

alio appellare nomine nec possim, nec debeam. Quae enim a patre in filium officia proficiscuntur, ea in me ab eo profecta sunt universa. Itaque talem hospitem amisi, qualem optare quidem possim, sed nancisci similem prorsus desperem. Ille me in altum vi turbulentissimae tempestatis abreptum ac prope naufragum amica porrecta manu domum suam peramanter invitavit, hospitio humanissime excepit, exceptum liberalissime habuit. Ego vero in eius sinum libentissime tanquam tranquillissimum in portum me recepi, ubi, quoad ille vixit, placidissime conquievi. Ille me dilexit, ut filium, ego vicissim illum dilexi et colui ut patrem. A primo aditu usque ad extremum utrinque certatum officiis est, nec alter alteri cessisset nisi institutum pietatis certamen mors diremisset. Sordida cupiditas lucri, quae officia intercipere solet, longe ab utroque nostrum fuit. Ille sua in me usus munificentia, quae mihi opus erant, liberalissime obtulit; ego temperantia usus mea tantum sumpsi, quantum modestia et parcitas patiebatur, nihil magis fugiens, quam ut ei aut oneri aut dispendio essem. Atque hoc quidem non tam propter decorum, quod me gratis ali non ferebat, quam propter sumptus, quibus sustentandae generi familiae gravabatur. De mea autem parcitate saepe mecum, saepe cum filio et filia, saepe cum aliis amantissime conquerebatur, perinde quasi ego de eius in me prolixa ac sincera voluntate dubitarem. Atque haec quidem querela plena humanitatis, plena incredibilis benevolentiae, me semper sic affecit, ut nihil magis; nunc vero sic afficit, ut tantam humanitatem, benevolentiam tantam et caritatem vere patriam cum reputo et amissam cogito, non possim non vehementer commoveri. Quamquam non tam propter officia, quibus me prosequutus est, eius interitu doleo, quam propter eximias virtutes, quae in eo insigniter eminebant, effecerantque ut ego illum merito suo magis, quam mea causa summopere dilexerim, eiusque ho-

spitium reliquis, quae mihi in urbe patuissent, anteferendum putarim. Vir erat eximie pius ac religiosus. Mitto quae communia omnibus probis viris sunt; quaedam erant in eo non communia sed plane singularia. Usitatum illi ac quotidianum fuit duas ante quam luceret horas e strato surgere, quod tempus somno ac quieti subductum precibus et coelestium rerum commentationi tribuebat. Quae fuerit christiana ab eo domi instituta disciplina, scripsi iam in ea epistola, quam ad te statim dedi, atque in eius domum immigravi. Talis cum esset, mirandum non est, si ei summa familiaritas fuerit cum P. Paulo a Cruce viro sanctissimo et novi religiosi ordinis conditore. Huius exstat ad ipsum epistola, in qua ea leguntur monita, quae a sanctis viris non nisi hominibus, qui non tam pietati, quam christianae perfectioni student, tradi solent. Singulari benevolentia Societatem nostram prosequebatur, quod minime dubium mihi semper probitatis indicium visum fuit, ut quos eidem infensos noverim, eos nunquam amicos, nisi commutata vitae ratione, optarim. Atque haec de studio pietatis; pauca sane de multis, quae scribi possent, sed pro epistolae modo satis. Quod autem ad eam, quam professus est artem spectat; architectus fuit sui temporis eximius, quod multa scitissime ab eo descripta aedificia declarant. Prae ceteris eminet palatium familiae Bonaccursiae et templum S. Pauli Primi Eremitae, quo nihil elegantius, nihil ad rectam aedificandi normam exactius. Artificii vero sui rationem reddere sic poterat, ut in hoc e suo quidem Collegio, quod Academiam S. Lucae appellant, neminem habuerit parem. Neque vero architecturae solius peritus erat; sed aliarum etiam artium, quae a sua alieni videri poterant non ignarus. Extat typis editum Romae anno MDCCLXII eius *Iudicium pro veritate* super celeberrima et magnis agitata contentionibus aquarum Bononiensium alluvie, et Card. Petro Paulo Comiti ei controversiae praefecto in-

scriptum. Hoc qui legat, viri ingenium, hydrostatices cognitionem non vulgarem, summam in scribendo moderationem, alienum ab omni partium studio animum, et communibus tantummodo servientem commodis admirabitur. Illud autem in singulari eius laude ponendum est, quod unus omnium maxime ad Lecchii nostri sententiam, quae una valuit et valet adhuc, accessit, et quidem multo ante, quam Lecchius de tanta re cogitaret. Huic iudicio nescio quis obstrepere non dubitavit, sed eorum e numero, qui facile ipsi se confutant et refellendi adversario laborem adimunt. Quare cum plurimum et artis suae cognitione, et prudentia, et scribendi facultate valeret, eius in primis opera et consilio usa est Academia S. Lucae, nihilque eo inconsulto decrevit, tantique fecit ut ei novas condendi leges rectiori constituendo regimini facultatem dederit. Delatum ei Academiae non semel principatum pari cum laude gessit ac dignitate. Ipse vero ab ea, tot decoratus muneribus, nihil sibi reliqui fecit, quod illi auctoritate, opera, consilio, opibus non praestiterit. Cuius rei praeclarum exstat Academiae ipsius testimonium meritissimo collegae extincto datum. Neque vero eius nominis fama se tantum Romae continuit, sed ad extremum usque septentrionem pervasit, qua permota Petroburgensis Academia eum sibi socium adiunxit, et honorificentissimo diplomate honestavit. Ne vero, quae ad politiorem vitae cultum spectant, omittam, humanus, comis, officiosus fuit, si quis unquam; splendidus etiam, liberalis, et munificus pro facultate. In cultu corporis mundus, sed citra nimis exquisitam elegantiam, ut gravem decebat virum. Nihil oderat magis, quam quod sordidum quiddam atque abiectum redoleret. Quare non solum ab omni parum ingenuo questu, sed ab omni etiam minus honesta postulatione abhorruit. Nemini libellos supplices porrexit, idque non superbia, sed ingenita quadam modestia. Quae illi honorifica et bene multa delata sunt

munera, ultro accepit, ut manifeste appareret, ea non ambitioni, non prensationibus, non aliis huiusmodi artibus, quibus fere parari solent, sed perspectae virtuti esse meritoque delata. Humanitate vero tanta fuit et tanta suavitate morum, quantam vix crederes. Ut in victu, sic parcus erat in verbis, illud maxime praecavens, ne quid ei excideret, quod ab se dictum nollet. Omnes observabat pro cuiusque dignitate ac loco, quo fiebat, ut ab omnibus observaretur et coleretur. Fuit praeterea ingenio simplici atque aperto, et ab omni simulatione prorsus alieno; is denique cui nihil deesset sive ad gratiam sive ad auctoritatem, quam ei oris species, corporis habitudo, motus, gestus, incessus conciliabant, ut eum etiam viri principes revererentur. Quae si coniunctim spectes longiori vita dignus videri potuit; sed Deo aliter visum. Morbo, quem apoplexin vocant, aliquot dies ante Natalis Christi Domini ferias correptus decubuit. Eo morbo medicorum ope recreatus et aliquantum confirmatus est, sed morbus non omnino discussus. Haesit mala pestis intimis abdita visceribus, quae aliquot post menses erumpens hominem oppressit. Pridie idus maias an. 1775 bene mane surrexit, et divino sacrificio, quod a me domestico in sacello celebratum est, interfuit. Tum impatientia quadam incitatus, curru invectus ad aedem Sacrorum Stigmatum, cui sodalitio adscriptus *Guardiani*, quem vocant, munere fungebatur, pergere, domesticis valde repugnantibus, omnino voluit. Ibi vix primo versiculo divinarum precum pronunciato, sensibus repente omnibus destitutus pro mortuo habitus est. Domum relatus nullis remediis iuvari potuit, nec ab eo, quo iacebat oppressus, veterno excitari, donec postridie eius, quem diximus, diei, vivere desiit, nactus mortis genus anteactae religiosissimae vitae consentiens, ut in ipsa sacri muneris obeundi functione extinctus dici potuerit. Natus erat annos unum et septuaginta; defunctus est alieno quidem

domesticis tempore, mihi vero alienissimo, sed opinor suo, qui ad Deum se recepit. Eius obitum familia tota aegerrime tulit; ego certe non minus, ut alios cousolari cupiens, ipse consolandus essem. Elatus est honesto funere, et in templo suae sodalitatis tumulatus. Eius memoria ne prorsus intercidat, huic est a me consignata epistolae, in qua aliquam eius adumbrare sum conatus imaginem, in quam identidem intuens, obiecta eius virtutum specie, subiectaque quodam modo praesentia me consoler. Ceterum, quamdiu vivam, eius meminero semper, et grata cum animi recordatione meminero. Tu vero hanc epistolam pro fraterna coniunctione, quae omnia facit communia, sic leges ut mecum dolorem partiaris et solatium; dolorem ex obitu subitaque amantissimi hospitis iactura; solatium ex praeclaris eius singularibusque virtutibus. Adscribo etiam inscriptionem, quam exaravi, ut si minus sculpta, scripta saltem exstet; exstet, inquam, tamquam certum pii indicium et perenne grati animi testimonium. Vale; divinae Matri me commenda, et quod facis et enixe facis, perge facere.

CLEMENTI . ORLANDO
ARCHITECTO . SVI . TEMPORIS . EXIMIO
VIRO
RELIGIONE . COMITATE . LIBERALITATE
SPECTATISSIMO
IOSEPHVS . MARIANVS . PARTHENIVS
AMICO . ET . HOSPITI
DE . SE . OPTIME . ET . INSIGNITER . MERITO
PII . ET . MEMORIS . ANIMI
MONVMENTVM . P.
VIXIT ANNOS . LXXI
OBIIT . ANNO . PIACVLARI . ID. MAII . MDCCLXXV.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. S. P. D.

XXVII. Litterae, quas ad communem amicum dedisti, me summa affecerunt laetitia et tantum mihi voluptatis attulerunt, quantum moeroris attulit discessus tuus. Deiparam, quae in aede S. Apollinaris colitur, et quam singulari studio prosequeris, adivi saepe et oravi et vero etiam me exoraturum confido, ut te amicis, contubernalibus, domesticis tuis, et veniam dabis, si addo, te tibi restituat, ut tandem aliquando, rebus compositis, iactari desinas, ab omnique molestia liberatus optata quiete frui possis. Huic epistolae ne respondeas. Multa, quae epistolae non sunt committenda, coram, si voles; si renues, silentium summum. Nihil refugio magis, quam alienis implicari negotiis; multo autem magis immisceri turbis, quarum accessionem ad reliquas, quibus nunc premor, curas fieri nolo. Matura reditum, et me Deiparae Virgini etiam atque etiam commenda. Id si facies, maiorem a me inire gratiam non poteris. Vale.

LIBER TERTIUS

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Rezzonico S. R. E. Cardinali S. P. D.

I. Qui nullo cum ad Cardinalatus dignitatem evectus es gratulationis officio, ut mea videbatur observantia postulare, perfunctus sum, facere nunc omnino non possum, quin novam, qua nuper auctus es, eamque multo amplissimam gratuler dignitatem. Itaque statim atque intellexi te sacerdotem fuisse consecratum, mirum in modum gavisus sum et susceptum de amplectendo sanctioris vitae genere consilium vehementer probavi. Nihil enim a te fieri potuit tibi utilius, nihil avitae tuorum pietati conformius, nihil denique Christianae Reipublicae temporibus, in qua Senator constitutus iam eras, accommodatius. Equidem non dubito, quin Clemens XIII consilium hoc ipsum tuum e coelo ratum habuerit, ac mirifice approbarit. Non enim poteras certiorem inire rationem qua eius virtutes imitareris, ad earumque exempla conformarere. Atque hoc quidem, ut sub ipsa de novo creando Pontifice comitia sacerdos inaugurareris, non sine divini numinis providentia factum arbitror, quo nimirum paratior ad tantum negotium accederes et gravior esset consultantis et suffragantis auctoritas. Quare novam hanc ad reliquos titulos accessionem tibi maximopere gratulor, quam opto et oro ut toti Christianae Reipublicae contingat salutaris. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Francisco Xaverio Zeladae S. R. E. Cardinali S. P. D.

II. In magna assectatorum deductorumque turba, qui te ad Vaticana comitia faustis ominibus prosequuntur, si

hominem tibi plurimis obstrictum beneficiis minime videris, non, opinor, miraberis. Nosti enim longo usu et consuetudine, quae mihi tecum intercessit, ingenii mei indolem frequentiam vitantis et aulae strepitum celebritatemque fugientis. Atque, ut vere et aperte dicam, quam libenter sacra tero vestibula Basilicarum, tam gravate profana subeo limina potentiorum. Quare, credo, mihi veniam dabis, si quae partes meae sunt, has ego huic epistolae committo, quae pro me te conveniat et tibi fausta omnia apprecetur. Quamquam longe alias meas video esse partes, quam ut ullo aulico officio perfungar. Procedis enim ad tractandum summum gravissimumque negotium, quo nihil totius Christianae Reipublicae intersit magis, quam ut feliciter transigatur. Itaque, inanibus omissis officiis, nunc multo quam antea in sacris Basilicis frequentior ero, et Deum obnixius obsecrabo ut in ancipiti consultatione et deliberatione tibi adesse velit. Inter alias illam crebrius adibo, cuius titulo insigniris, in qua praeter cetera ornamenta, quibus distinguitur, vetustissima Deiparae Virginis imago colitur, inde *Gaudium Christianorum* appellata, quod pace a Constantino Magno Ecclesiae oblata, Christiani primum respirare coeperunt, et unde optatae iamdiu pacis ac tranquillitatis captari omen videtur posse. Sed de hoc titulo tuo opportunius alias. Interim hanc habe epistolam, quae huiusmodi officium, si debitum, praetermissionem excuset; si liberum, quare omiserim, rationem doceat vel reddat, at certe constantem voluntatem erga te meam observantiamque declaret. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Benedicto Veterano S. R. E. Cardinali S. P. D.

III. Si aditus ad principes viros fere aut obstructi sunt aut difficiles, hoc ego maxime tempore aut obstru-

ctos omnino, aut certe difficiliores existimavi : quare hanc ad te allegare epistolam visum est, quae hominis tui studiosissimi vice fungatur, et te ad Vaticana comitia proficiscentem faustis ominibus prosequatur. Hic ego aulae nec morem nec mores sequar, nec ea usurpabo, quae aulici, et clientes dominorum ac patronorum, cum ad novum creandum Pontificem procedunt, inculcare auribus solent. Itaque cum tibi fausta precor, ea precor, quae me tibi precari vis, quem certo scio in sanctissimo negotio, quod suscepturus es, unam, atque adeo maiorem Dei gloriam, et Christianae Reipublicae utilitatem habere propositam. Et sane, ut primum te novi et me alloquio dignatus es humanissimo, captus quidem doctrina tua sum, sed pietate in primis ac religione. Utramque vero multo certius et perspexi et suspexi, cum te statim a lato contra Societatem edicto conveni. Multa tunc vere graviterque dixisti, quae non tam ad levandam privatam aegritudinem meam valerent, quam ad communem deplorandam calamitatem. Omnino is mihi visus es, cui Christiana Respublica difficillimis hisce temporibus plurimum fideret et in quo aeque tutum ac certum praesidium collocaret. Perge igitur, quo te munus tuum vocat, constantis senatoris partes suscipe, et in dicenda sententia ferendoque suffragio talem te exhibe, qualem optant omnes boni, qui gravissimi negotii summam in te tuique similibus constitutam arbitrantur. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Carolo Aloisio Giammartino sodali suo carissimo S. P. D.

IV. Quae ad tractanda negotia requiritur in primis opportunitas, ea nunc vel maxime desideratur. Cardinalis Veteranus tui studiosus et affinis Vaticani septus cancellis nec commode adiri potest, nec libera agendi cum eo re-

motis arbitris facultas est. Illustre sacerdotium, quod Urbini in aede principe tibi offertur, est huiusmodi, ut recusandum omnino non sit. Certum pro incerto relinquendi tibi nemo prudens auctor erit. Quare, moneo, etiam atque etiam considera, quid consilii capiendum putes. Romae in prope infinito petitorum numero difficile admodum est aliquid consequi, quod petitoris dignitati conveniat. Officia Cardinalis, pro ea, quae tecum intercedit affinitate, tibi certe non deerunt, sed ea illa ipsa, quam dixi, petitorum incredibili multitudine debilitantur, ut nonnisi aegerrime, quod contenditur, obtineatur. Tamen in hac nostra abiecta fortuna, si quid ego possum, tibi polliceor ac defero operam, studium, diligentiam, assiduitatem; adibo, alloquar, urgebo, instabo, nec quidquam reliqui faciam, quod tibi et merito tuo non libentissime impendam. Vale, et me Deiparae Virgini vehementer commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

V. De mea erga te voluntate si dubitares, mihi certe iniuriam faceres. Scis enim certo te a me plurimi fieri et merito tuo amari. Causae porro cur te diligam multae sunt et graves. In primis tua me cepit pietas singularis et mores integerrimi. Studium vero erga Societatem, a qua divelli, nondum lato edicto, minime passus es, ut communem sortem, quaecumque futura esset, subires, multo magis me cepit. Incredibiliter autem erga te sum affectus, cum lacrimas a lato edico ubertim effundentem vidi, quibus omnia Cardinalis officia, qui te hospitio humanissime excepit et lautissime habuit, modum imponere non potuerunt. His de causis, vides, opinor, nihil esse in mea facultate positum, quod tibi recusare aut possim aut debeam. Intelligo ex tuis literis te Romam spectare, et istam commorationem esse odiosissimam; sed quid facias in tanta rerum

perturbatione? Ibi plerique esse cogimur, ubi nolumus et vero, si ius et aequitas valuissent, nequaquam esse debuimus. Sed ubicumque simus, hoc persuasum habeamus, ibi esse nos, ubi Deus esse vult, et tamquam in aliqua statione constituit. Persta igitur ubi es, et aequo animo persta. Utere dono, quod tibi a Deo oblatum est; si res in melius se referent et vero etiam in pristinum restituentur, facile erit sacerdotio nuncium remittere, Romam confestim advolare, teque carissimis fratribus tuis adiungere. Vale, et me sic Deiparae commenda, ut illa sentiat sibi me a te enixe commendari.

Iosephus Marianus Parthenius — Benedicto Veterano S. R. E. Cardinali S. P. D.

VI. Auctoritas tua et vero etiam singularis benevolentia, qua me complecteris, facit ut mandatum quod mihi defers, et libentissime recipiam et diligentissime exequendum curem. Itaque lectis humanissimis litteris tuis, quas ad me e conclavi Vaticano dedisti, statim animo delatus sum in illos, qui mihi notiores erant aptioresque videbantur. Eos ego cogitatione sepsi, quo singulos attentius inspicerem, ac tandem statuerem, quem putarem omnium maxime idoneum, qui ei muneri, quod vacuum explere vis, sufficeretur. Quamquam hoc in negotio non tam consilio mihi opus esse intelligo, quam felicitate, qua fiat, ut in summa idoneorum hominum paucitate occurrat is, qui tibi singulas eius, de quo agitur, muneris partes pro tua sapientia recensenti et iure tuo postulanti probetur, ac plane satisfaciat. Neque vero, ut opinor, tu non intelligis, quo plura a te postulantur, eo optionem fieri difficiliorem. Confido tamen fore, ut adhibita diligentia, eum tibi exhibere possim, qui etsi numeris omnibus absolutus non erit, minus tamen ab ea numerorum omnium absolutione absit,

quae a te summo viro et numeris omnibus absolutissimo requiritur. Curabo igitur mandatum tuum studiosissime, nec quidquam in eo exequendo omittam, quod quidem in mea situm potestate sit. Si qua alia in re opera tibi mea opus erit, ea utere arbitrio tuo. Quotiescumque id feceris tibi persuadeas velim te mihi rem pergratam non minus, quam perhonorificam facturum. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VII. Cum multa sunt, ut iam scripsi, quae delectum idonei hominis difficilem faciunt, tu hunc mihi altera ex septis Vaticanis data multo difficiliorem reddidisti. Persequeris enim eius, cuius opera utebaris, eximias dotes, quibus tibi probatur, et cui similem sufficere omnino velles, qui quidem mea sententia optandus magis quam postulandus videtur. Verum ne prorsus nihil agam et quoquo modo possim mandatum tuum exequar, desperato optimi delectu, satis habui, eum tibi offerre, qui etsi cum illo tuo conferri non possit, proxime tamen accedat, nec profecto contemnendus omnino atque abiiciendus videatur. Sacerdos est, honesto loco natus, probis moribus, quietus, modestus, eo corporis habitu, ut maxime deceat, bonis denique artibus, quantum elicere ex sermone potui, non mediocriter excultus. Scriptio, hoc est litterularum conformatio non inconcinna. Quod ad orthographiam attinet, quam in primis postulas, et recte *doctrinae filiam* appellas, nihil habeo explorati, in ipso enim actu deprehenditur. Hic nunc nobilis matronae Romanae instituit liberos pueros. Ipsa de singulari eius in suo munere obeundo diligentia ac sedulitate cum verum tum egregium mihi testimonium dedit. Hunc habeo, quem tibi proponam, non electissimum illum quidem, sed e multis, qui mihi occurrerunt, electum, quem si probabis et si ipse se tibi re ac factis pro-

babit, erit sane, cur non mediocrem diligentiae meae perceptum a me esse fructum putem, maiorem percepturus, si in re maioris momenti opera uti mea volueris, quam tibi, quantum possum, prolixe defero; cui quidem tu minime parces, si eam non ostentationem officii, sed sincero delatam animo existimabis. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. sodali suo S. P. D.

VIII. Quanti te M. Antonius Columna Cardinalis amplissimus faciat semperque fecerit, neque tu ignoras, neque non ipse apertissimis significationibus declaravit. Quamquam tu id quidem pro tua modestia non ulli merito tuo sed singulari eius humanitati tribuas, ego tamen utrumque complexus, et merito tuo et eius humanitati adscribendum puto. Neque enim talis tantusque Cardinalis tantum tibi humanitatis impertiret, nisi et tu meritus esses, et ipse singulari humanitatis laude commendaretur. Constat enim in iis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum pertinent te in consilium adhibuisse, te consulto multa fecisse. Iam vero nihil certe ad Dei gloriam et salutem animarum pertinet magis, quam electio Summi Pontificis. Protrahi in dies de eodem creando comitia omnes boni aegre ferunt et eo etiam aegrius, quod nulla spes ostenditur fore, ut quam primum optatum ad exitum perducantur. Quid? inquies: Tu ne tam audax, tam impudens es, ut hac de re ad me scribere non verearis, meque istius audaciae, atque impudentiae tuae non conscium solum, sed etiam socium habere velis? Sed sustine, quaeso, parumper iudicium tuum, sustine reprehensionem, tum plane intelliges me hac in re, neque audaciae, neque impudentiae iure posse accusari. Non id agitur, ut aut tu, aut ego ei negotio immisceri debeamus, quod tam

longe ab utriusque nostrum instituto abest, quantum ab eorum dignitate absumus, quibus solis tractandum illud conficiendumque committitur. Hoc aut moliri, aut a te postulare ne in mentem quidem venit; et si venisset, nullum nec reprehensionis, nec vero etiam animadversionis genus recusarem. Quid est igitur, quod vis? Nihil nisi rectum, nisi iustum, nisi ab omni reprehensione alienum; nihil denique, nisi summae sanctissimi Cardinalis pietati consentaneum. Ecclesiastica monumenta docent protracta anno MCCXLIII longius, quam par erat de creando Pontifice comitia fuisse, nec gravissimo huic incommodo a suffragatoribus Cardinalibus alio occursum esse modo, quam interposita voti religione, ut quicumque Pontifex esset electus reciperet natalem Deiparae Virginis diem addita, quam vocant *Octava* celebriorem, solemnioremque effecturum. Vix concepto voto transacta statim e sententia res est, et continuo renunciatus Pontifex Cardinalis Sinibaldus, Innocentius huius nominis IV appellatus. Plura huiusmodi exempla ab historia Ecclesiastica deprompta afferri possunt, prorsus ita, ut nunquam grave aliquod Ecclesiae periculum inciderit, quod depulsum feliciter, implorata Sanctissimae Dei Genitricis ope, discussumque non fuerit. Quid igitur prohibet in re simili aliquid simile fieri? Honestata quidem plurimis Pontificum decretis Deiparae Virginis Immaculata Conceptio fuit, ita tamen, ut et amplioris cultus et novorum ornamentorum fieri possit accessio; atque illa praesertim, quae ab eius studiosis omnium maxime expetitur, et una reliquas cumularet, nullum ut amplius culmen imponi posset. Vellem igitur, ut hoc ipsum Cardinali significares, quem non dubito quin hanc in sententiam pro suo in Deiparam Virginem studio pertracturus sis. Neque vero necesse habes ad Vaticana septa accedere, a quibus nos, quo omnis vel tenuissima suspicio vitetur, quam longissime debemus abesse. Com-

modum valetudinis causa a Vaticano ad tempus discessit Cardinalis, qua recuperata, cum eodem se conferet, quantum eniti poteris, fac ut secum reditus comitem pium hoc ac salutare consilium deferat. Hoc cum Collegis suis communicet, hoc urgeat, nec ab incepto desistat, donec voti compos fiat. Deipara Virgo, cuius agitur gloria, animum tibi ad suadendum atque ad persuadendum addat, Cardinalem sanctissimum in hanc voluntatem adducat, studium hoc meum secundet, quod aliud nihil propositum habet, quam maiorem Dei gloriam, Deiparae cultus incrementum, et communem totius Christianae Reipublicae utilitatem. Vale, et me, si me amas, ei pro cuius gloria laboro, quantum enixius poteris, rogando instandoque commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Io. Baptistae Rezzonico S. R. E. Cardinali S. P. D.

IX. Quem aditum apud te facilem habuit epistola, quam tibi ante scripsi, quam in Conclave Vaticanum ingredereris, eundem haec, opinor, habebit, quam nunc egresso iam e Conclavi scribo, ad teque eodem latore mitto, a quo quae summa primae epistolae accessit commendatio, non minorem huic alteri commendationem accessuram confido. In primis toti Christianae Reipublicae gratulor eum fuisse electum Pontificem, quem confidere possumus ita ad perturbatas Christianae Reipublicae partes accessurum, ut eas et in ordinem redigat, et tandem aliquando Deo adiuvante et Ecclesiam suam respiciente, componat. Hoc primum. Deinde non possum tibi non etiam gratulari, cuius opera in tanto negotio transigendo ita versata est, ut plane insignis exstiterit. Hoc autem non idcirco scribo, ut me tibi dedam, et officio assentatorio captem benevolentiam tuam. Hoc de te tota urbs et loquitur et praedicat et miris laudibus in coelum effert.

Ego vero maximas Deo gratias ago, qui talem tibi et voluntatem, et facultatem dedit, quibus bene usus, posthabitis omnibus, quae egregios conatus infringere et curas tuas alio, quam quo oportebat, detorquere poterant, unam spectasti Dei gloriam et Christianae Reipublicae utilitatem. Macte igitur, Cardinalis amplissime, animo isto tuo tam pio ac recto, macte ista tua singulari maximis in obeundis expediendisque negotiis felicitate, quam tibi in dies magis magisque ad communem salutem, et totius Ecclesiae Catholicae incrementum fortunet Deus et opto, et precor. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

X. Est sane cur iterum tibi, et vero etiam mihi gratuler, Cardinalis amplissime. Tibi quod novum illudque honorificentissimum consecutus es munus. Mihi, quod priore epistola non assentatorie, sed vere affirmarim in eligendo Pontifice tuas plane singulares fuisse partes. Accessit enim Pontificis iudicium, qui id ipsum mirifice confirmavit, cum tibi electissimum e multis munus detulit, eoque delato apertius declarare non potuit quantum prudentiae et integritati tuae fideret, et quantum se tibi debere arbitraretur. Quamquam est cur non tam tibi et mihi gratuler, quam toti Urbi. Id enim muneris tibi commissum est, quod omnes afficit, tibique offert de omnibus bene merendi et opportunitatem et facultatem. Officiosam porro hanc provinciam quin ita sis administraturus nemo dubitat, ut et commotae de te hominum exspectationi respondeas, et optimo Principi subditorum amorem benevolentiamque concilies. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Francisco Xaverio Zeladae S. R. E. Cardinali S. P. D.

XI. Quod me facturum ante recepi, quam conclave Vaticanum eligendi pontificis causa ingredereris, peculiari ut epistola tibi de ornamentis in titulum tuum inductis gratularer, egresso te iam e conclavi facio, et promissum exsolvo. Gratulor igitur tibi maximopere et ex animo vereque gratulor, quod illum non dicam ornandum, ornatus enim iam erat, sed novis decorandum ornamentis cumulandumque susceperis. Et vero est eiusmodi titulus iste tuus, ut pluribus tibi nominibus commendatissimus esse debeat. Antiquissimus in primis habetur, ut pauci admodum possint cum eo de antiquitate contendere. Nomen fortasse sortitus est ab Equitio viro sanctissimo, de quo Magnus Gregorius in suis dialogorum libris meminit, et multa de eximia eius sanctitate persequitur. Quod vero titulum hunc insigniter distinguit et in eo dignitatis gradu collocat, ut facile omnibus antecellat, illud est, quod nusquam Romae neque plura, neque vetustiora christianae religionis vestigia, et illa quidem non dubia, sed certa, non adumbrata leviter, sed valde expressa atque exstantia cernantur. Hic primum, pace a Constantino Magno ecclesiae oblata, catholica religio e subterraneis specubus, quibus ad eam diem tyrannorum metu delituerat, emergens lucem aspexit, et liber Deo cultus est a christianis exhibitus. Certissimo documento sunt Thermae in templi formam concinnatae et pia S. Silvestri cura ad sacrum usum traductae. Hic ab eodem S. Pontifice celebrata sunt concilia celeberrima duo, quibus catholica fides asserta et haereticorum errores impietasque damnata. Inter caetera vero eminet Deiparae Virginis imago antiquissimo musivo opere expressa, et *gaudium christianorum* appellata, propterea quia illa potissimum interprete, quae *gaudium annunciavit universo mundo*, christianorum

animi a moerore ad gaudium, a luctu ad laetitiam traducti libere ac pacate respirare coeperunt. His de causis Constantinus ipse amplissimis titulum hunc muneribus redditibusque ditavit; tum consequentes pontifices, ne tam illustris loci memoria interiret reparandum reficiendumque curarunt. Sergius vero huius nominis secundus pluribus illatis sanctorum martyrum corporibus, non tam decoravit, quam sacris eorum reliquiis et cineribus consecravit. Verum ista prolixius, quam par erat, quae tibi quam mihi notiora cum essent, ista ipsa te ad hunc titulum optandum et cumulatius ornandum impulerunt. Ego sane quoties titulum hunc tuum ingredior, ingredior autem saepe, toties incredibiliter delector et summas Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem iniecit, ut opes tuas in hunc potissimum usum impenderes. Utinam adhuc in situ ac squallore iacentibus patronus tui similis obtingeret, ut situ absterso pristinae dignitati restituerentur. Sed hoc in votis; quod re teneo, hoc vehementer probo, hoc valde laudo, tibique maiorem in modum gratulor opes tuas a te hunc in usum esse collatas, quo nihil est neque sanctius neque diuturnius. Cetera facile labuntur et nobiscum una dilabuntur, haec durant, haec permanent, haec perseverant non tam ad Dei cultum, qui spectari in primis debet, quam ad nominis perennitatem. Ita sentio homo tui tuaeque verae laudis studiosissimus, quem tibi persuadeas velim nihil optare magis, quam ut sis et habearis non praesentium modo testimonio, sed posterorum etiam memoria commendatissimus. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Maximiliano Chiolichio
S. P. D.

XII. Iam ad te pridem Gaspar Segovia, quo doctore in theologicis studiis usus es, litteras dedit plenas amoris

ac benevolentiae, quibus ego nonnulla adscripsi, quae amorem item erga te meum et benevolentiam significarent. Verum nullo accepto responso litteras intercidisse puto; quare has iterum mitto, quas confido fore, ut tibi reddantur. Ego persto Romae, qua ex urbe, quoad vivam, certum est non discedere. Tenet enim me mirum in modum haec urbs non splendore atque amplitudine sua, sed singulari ac prope incredibili sacrorum monumentorum, quibus magnopere delector, copia. De litterulis meis si quaeris, nullus fere dies abit, quin aliquid aut scripto mandem, aut dictem. Volumina mea vulgata iam sunt, quae habere si voles, tuorum contubernalium opera uti poteris. Pretium pro voluminum mole et typorum elegantia valde est exiguum, quod si persolvere non gravaberis, non mihi, sed Deiparae Virgini persolves, cui qualecumque ex elucubrationibus meis percipi contigit emolumentum consecravi. Ipsa enim scribenti affuit, ipsa scribentem adiuvit, ut ei, quae recte scripta sunt omnino accepta referre debeam, quae vero secus, mihi uni cogar assignare. Tu Romae cum esses, mea hac scribendi facultate, sive potius mediocritate mihi videbaris delectari; nunc autem haud scio an in eadem animi affectione perseveres. Certe tuum te ingenium in simile dicendi genus ferebat. Recordor orationis illius tuae e suggestu a te habitae ad sodales tuos, nec eius memoria ulla unquam oblivione delebitur. Quae vis! qui ardor! quae contentio et vocis et animi! ut palam professus fueris te non opes, non honores, non infulas quaesiturum, sed unam Dei gloriam, unam salutem animarum. Quid? quod ulterius progressus te paratum declarasti vel ad profundendum sanguinem pro tutanda catholica fide et ecclesiae iuribus vindicandis! Non dubito quin iidem adhuc sensus sint tui, idem ardor, qui non refrixerit, sed incensior etiam in dies evaserit. Ea certe, quae post discessum e Collegio Germanico tuum luctuosa et toti catholicae reli-

gioni exitialia acciderunt sensus illos confirmare et ardorem illum tuum inflammare vehementius debuerunt. Respondeas igitur oportet tuae de te a te ipso commotae exspectationi, quae summa cum sit, mediocritate quadam non debet esse contenta. Opportunitas vero maior esse non potest, immo vero tutandae religionis necessitas, quae nunc summum in discrimen adducitur, remotis iis, qui praelia Domini acriter fortiterque pugnabant, et te ad ea praelia acriter fortiterque pugnanda instituerunt. Vale, et me Deiparae Virgini etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Alberto de Albertis sodali suo S. P. D.

XIII. Incipiunt res melius ire et sensim ad aequitatem delabuntur. Ego sane, tametsi me natura timidum esse non diffiteor, ut magis adversa formidem, quam sperem secunda, tamen non aeque ac tu eousque demisi animum, ut omnino desperarim. Nunc vero aliquam in spem erigor. Voluntas certe novi pontificis erga nos videtur esse propensa; sed quae habet in animo propter adversa tempora libere expromere fortasse non poterit. Multa obstant, multa praeclaris eius conatibus vehementer adversantur. Joannes Baptista Rezzonicus cardinalis, qua valet apud optimum pontificem gratia, sibi non deest, et communem amplexus causam utramque adiuvat, quantum potest; sed unus obniti contra plures non valet. Sed tamen est cur bono animo simus et res quotidie in melius processuras confidamus. Haec idcirco scribo, ut te quidem a desperatione abducam, non autem ad certam atque exploratam spem adducam. Salus nostra a Deo exposcenda atque expetenda est. Hoc unum in tanta calamitate habemus residui, ut *oculos nostros ad Deum convertamus*, eius opem imploremus, qui si nobis adesse, si opitulari voluerit, nihil erit,

quod non consequamur. *Quis enim restitit voluntati eius?* Hunc igitur nobis assiduis precibus conciliemus, hunc ad optata nostra flectamus, qui, si volet, *replebit in bonis desiderium nostrum*. Adhibeamus interpretem Deiparam Virginem, quae si causam nostram suscipiet, nihil non impetrabimus. Vale et me Deiparae enixe commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XIV. Valde gavisus sum lecta postrema epistola tua. Si enim recte laconismum quemdam tuum interpretatus sum, mihi visus es indicasse te Romam cogitare; quod utinam, iterum utinam ita esset. Scito autem mihi hoc praeter omnem exspectationem accidisse; quas enim hactenus scripsisti epistolas, eiusmodi fuerunt, ut de reditu tuo omnino desperarem. Nunc mihi significes velim, utrum verus interpres fuerim, an amor me in interpretando meus fefellerit. Quae enim vehementer optamus, quoquo modo indicata sunt, tamquam aperte enunciata accipimus, et dubios ambiguosque sensus ad nostram sententiam ac voluntatem detorquemus. Verum, ut epistola sermone dubio atque ancipiti scripta sit, hilarior est, ex qua sine dubitatione collegi, te abiecta desperatione aliquem coepisse spei locum dare, quam si animum subire permiseris, illum non laxabit modo, sed plurimum etiam relevabit. Et vero est cur nunc respiremus et animum a pristinis curis oppressum relaxemus. Confer, amabo te, praesentia tempora cum superioribus; videbis profecto tanto haec esse meliora, quanto illa deteriora fuerunt. Nam quid simile nunc illorum? cum vix aegre spiritum ducere liceret, cum carcer intentaretur, cum lictores ubique praesto essent, cum omnia exploratoribus insidiosa, omnia periculorum plena, referta terrorum atque formidinum. Haec optimi pontificis aequitate depulsa sunt omnia, nihil ut horum immineat, nihil ut

sit formidandum. Quare, ut vides, magna curarum pars adempta est; quae reliqua optanda sunt, si nondum re, ea saltem spe teneamus. Pergamus igitur hanc spem fovere, ita tamen, ut si quid adversi eveniat, moderate feramus. Commode vir sapientissimus; (Cic. ep. ad Fam. ep. 17. lib. 9.) *debemus optare optima, cogitare difficillima, ferre quaecumque adversa.* Si quam de reditu suscepisti cogitationem, eam ne abiicias. Amici te cupidissime exspectant, te in primis exspecto ego, qui si redibis et te mihi restitues, omnia propemodum mihi tecum restituta arbitrabor. Vale, et more solito peto, ut me Deiparae commendes.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Rezzonico S. R. E. Cardinali S. P. D.

XV. Cum a me litteras ad amplitudinem tuam commendatitias sibi dari vehementer postularet N. N. unus e numero scriptorum tuorum, negavi, destitutus videlicet ea auctoritate, quam hoc genus litterarum, tum vel maxime cum ad principes viros scribitur, requirit. In sententia cum perstarem, rogare vehementius coepit, ut, quandoquidem tibi se commendare nollem, saltem testimonium mei de se iudicii darem. Hoc vero, non tam ipsi quam veritati abnuere nequaquam potui. Itaque affirmo illum mihi longo usu fuisse cognitum et valde probatum ob singularem pietatem et eximiam diligentiam. Mariano sodalitio cum praeessem eius opera usus sum et diuturna et fideli. Delato aeditui munere totos fere quindecim annos ita functus est, ut omnibus eius muneris partibus cumulatissime satisfecerit. Difficile enim erat alium sufficere, qui eius assiduitatem aequare ac diligentiam posset. Hoc ei testimonium cum libenter tum vere do. Tu sic accipies, ut tibi videbitur, et tecum statues utrum dignum existimes, qui a te quod

petit obtineat munus. Utrum vero huic muneri idoneus sit, facilius disces ab iis, qui eodem in munere versantur. Quorum si testimonium cum meo congruere deprehenderis, tuae aequitatis erit consentienti plurium testificatione probatum favore tuo complecti; prudentiae vero, qui in Dei ac Deiparae obsequio constans fuerit ac fidelis, eumdem in tui atque optimi principis famulatu sui dissimilem nequaquam futurum iudicare. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariae Contesino Archiepiscopo Atheniensi S. P. D.

XVI. Tua singularis humanitas quae facit, ut me tua digneris amicitia ac familiaritate, eadem facit, ut nunc officiosam a te commendationem postulem pro homine, cui ego non mea quidem, sed Deiparae Virginis causa, ut explicabo, plurimum debeo. Quamquam quid tam meum, atque adeo quid tam utriusque nostrum quam quod ad sanctissimam Dei Genitricem quoquo modo spectat? Peto igitur a te ut apud cardinalem Ioannem Baptistam Rezzonicum officium pro N. N. interponas tuum. Quanti te merito tuo amplissimus cardinalis faciat, neque ego non scio, neque ille ignorat, pro quo laboro, qui quidem non dubitat quin, si eius postulationi favebis, quod vehementer optat, a cardinali sit consecuturus. Hic est e numero scriptorum hoc anno piaculari electus, et reliquis adiutor datus. Vellet autem hoc sibi munus non temporarium esse, sed perpetuum. Scito illum Mariano sodalitio, cui ego praeeram, ita addictum esse, ut ab eo divelli non patiatur. Aeditui munere totos fere quindecim annos tanta cura, tanta diligentia functus est, nihil ut accuratius fieri, nihil diligentius potuerit. Certus est autem, quamdiu vita suppeditabit, tamdiu in eiusdem muneris functione perstare, si per te impetrabit, quod postulat. Quo non impetrato, Roma discedere et

redire in patriam cogeretur. Vides igitur non tam eius, quam Deiparae causam agi, cuius gratia oro te atque obsecro, ut auctoritate tua, quantum potes, apud cardinalem enitaris, quo voti compos fiat. Hoc officio me et illum maiorem in modum tibi devincies, Deiparam vero in primis demereberis, cui isto modo perpetuum famulum addixeris. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ignatio Boncompagno S. R. E. Cardinali S. P. D.

XVII. Si in summa novam dignitatem tibi gratulantium frequentia me quasi quodam aestu repulsum esse dicerem, ne ad te debito perfuncturus officio propius accederem, id quidem probari facile posset, et homini privato, quem nulla commendatio distinguit, plane congrueret. Verum pro veteri necessitudine, vereor ut hanc sis excusationem accepturus. Quamquam non dubito quin videas, quid me ab hoc aditu officii prohibuerit, et si quae in hoc culpa est, hanc tempora sustinere. Ne vero huic omnino officio deesse arguar, quod praesens vetor, hoc absens per litteras exequar. Gratulor igitur tibi amplissimam, quam consequutus es, dignitatem, maioribus quidem tuis debitam, sed a Pio VI optimo meritorum aestimatore uni egregiae virtuti tuae delatam. Haeret animo valde impressum meo, quod te, cum primum ad rempublicam accessisti, usurpasse audivi; honores non ut haereditates, quae vel dormientibus obvenire solent, tibi deferri velle, sed ut praemia tribui meritorum. Egregie enimvero et praeclare dictum. Per hos virtutis nimirum et meritorum gradus proavus ille tuus Gregorius XIII ad summi pontificatus culmen ascendit, ut tu quoque non aliam tibi munire viam, non aliis, quo altius evaderes, insistere gradibus debueris. Delatam porro dignitatem qua potissimum ratione tuearis,


non est cur aliunde quam ab eodem pontifice vere et optimo et maximo a te documenta petantur et incitamenta. Habes in eo non solum quod suspicias, tam multa gessit, tam admiranda, tam singularia; sed etiam quod imiteris; iustitiam, fidem, pietatem, religionem, religionis ipsius tutandae amplificandaeque studium incensissimum ac propemodum incredibile. Hoc tanto obiecto exemplari, certe non poteris ad tantarum virtutum imitationem non vehementer accendi. Verum quam facile est summo loco natis summos honores consequi, tam difficile est eosdem virtute et omni officiorum genere tueri. Tibi autem id multo facilius, qui ab ipsa adolescentia omnia tibi et virtutis et doctriuae, cuius rei ego ipse testis sum, subsidia comparasti, quibus probe instructus amplissimam, quam adeptus es dignitatem non tuereris modo, sed etiam ornares. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Roberto sodali suo S. P. D.

XVIII. Vetus amicitia, quae te Ioanni Baptistae Archinto iam ab eo tempore, quo legati vices Bononiae gessit, adstrinxit, et mutuis ad hanc usque diem confirmata fuit officiis, iure suo postulat, ut tibi potissimum amplissimam, quam nuper adeptus est, gratuler dignitatem. Qui enim recte a natura comparati et liberaliter instituti sunt, ita amicitiam colunt, ut de amicorum ornamentis non secus ac de propriis, et multo etiam magis, gaudeant atque laetentur. Quare non dubito quin hanc gratulationem meam perinde sis accepturus ac si tanta dignitas tibi ipsi obvenisset. Adscriptus enim tibi vir amicissimus purpuratorum patrum senatui, non tam ipse honore affectus est, quam ipsum senatum affecit. Laetor igitur debitum virtutis praemium ab optimo meritorum aestimatore esse redditum, et quae de eo, ut primum te ad eius amicitiam applicueris,

praesagia fecisti, ea fuisse ab eventu confirmata. Hoc quo nunc apud te fungor officio, fungi apud ipsum facile possem; sed certo scio illi gratius futurum quod tibi quam sibi hunc honorem sim gratulatus, qui certo sciat te magis quam se de lato honore fuisse laetatum. Vale, et me Deiparae Virgini de meliore nota commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Pio VI Pontifici Maximo.



XIX. Facilitas tua et aequitas postulationis meae faciunt, B. P., ut ad te fidenti animo accedere supplici hoc libello non dubitem. Altera enim aditum mihi patefacit, altera bene sperare iubet. Nova vitae ratio, quae ineunda necessario fuit, nova postulat consilia, a quibus tam longe aberam, quam abesse necesse erat eum, qui pro Christo relictis omnibus nihil sibi reliqui fecerat, quod cuiquam vel vivens donaret, vel moriens relinqueret. Ego sane a testamento conficiendo maiorem in modum refugio; id enim existimo quam maxime a suscepta vitae meae ratione alienum. Nunc vero non mutata quidem sed accommodata temporibus sententia diu multumque aestuavi quid agerem, et quo potissimum temperamento mihi utendum putarem. In hoc ancipitis animi aestu illud demum occurrit quod tametsi minus illi, quam dixi, institutae vitae rationi congruat, prorsus tamen ab eadem non abhorreat. Illud igitur te rogo, ut quidquid annuae pensioni ad necessarium victum attributae accedet, concessu tuo mihi solum liceat vel pauperibus erogare vel pios alios in usus impendere. Si quid autem huiusmodi vivens non mortis causa impendendum statuero, post obitum quasi temporaneum et ratum esse et haberi pontificia auctoritate velis. Hoc modo odiosa testamenti confectio vitabitur, et captum consilium pium habebitur ac religiosum. Quod si a te impetravero, summo me

beneficio affectum existimabo, et molestissima cura, quae in re gravissimi momenti anxium me habet vehementerque sollicitum, liberabor. Fortunet Deus pontificatum tuum, cuius exordia totam christianam rempublicam incredibili gaudio affecerunt et bonorum omnium animos ad bene de eadem sperandum mirabiliter excitarunt. Faveat optatis tuis rectissimis Apostolorum Princeps Petrus, cui et dignitate et potestate suffectus es, quem confido pro insigni tua in eum pietate nunquam tibi non affuturum. Neque enim fieri potest quin, sicut tu illi assidue adhaerescis, ut ab eius sepulcro avelli vix queas, ita ille tibi continue adsit, ut, quae pro communi salute et catholica religione cogitas, ea consentientem praeclaris pontificatus tui initiis exitum nanciscantur. Tuis sanctissimis pedibus provolutus tuam mihi paternam et apostolicam benedictionem imploro.

Oblatus fuit hic libellus, et SS. D. N. Pius VI benigne postulationibus annuit.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariae Contesino Archiepiscopo Atheniensi S. P. D.

XX. Exemplum ad te mitto libelli supplicis, quem ad pontificem scripsi, rogoque ut et tu eum legas et cardinali Ioanni Baptistae Rezzonico legendum prius tradas, quam pontifici offeratur. Ego sane in eo exarando plurimum studii ac diligentiae adhibui. Quod petitur, erat presse exponendum, sed ita expresse efferendum ut probe intelligeretur, ne qua oriri postea dubitatio posset, quae mihi religionem iniiceret molestiamque crearet. Multis enim, ingenue fateor, implicor religionibus, quibus nonnisi suprema me explicare pontificis auctoritas potest. Verum ut plurimum studii in eo adhibuerim, excidere tamen aliquid potuit, quod iure reprehendi possit atque emendari omnino debeat. Itaque meo nomine cardinalem etiam atque etiam rogabis, ut

libellum attente legat, singula attente consideret, atque accurate perpendat, et si quid occurrat, quod aut inducendum omnino aut alio modo exponendum pro sua prudentia iudicet, libere moneat. Ego sane non recusabo, quin me ei minime difficilem discipulum nunc praebeam, qui me facili, ut opinor, doctore olim usus est suo. Quod si recte scriptum deprehenderit, tum vero captet tempus opportunum, optimo pontifici porrigat, officio iuvet, eique, quam a se non habet, commendationem auctoritate sua conciliet. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Rezzonico S. R. E. Cardinali S. P. D.

XXI. Si fontes, qui salubres ac perennes publicae commoditati aquas fundunt, sensus haberent, quo plures ad hauriendum accederent, eo etiam laetarentur magis, et communi servire utilitati gestirent. Salubrem ego te et perennem beneficentiae fontem si appello, vere mihi videor affirmare posse. Talem te vulgo omnes praedicant, talem agnoscunt et experiuntur. Nam quid dicam de iis, in quos amas beneficentiae tuae rivos potissimum defluere? Ii certe te satis praedicare non possunt nec unquam non praedicabunt, quamquam defuturi non sint, qui beneficam hanc venam aut intercipere omnino, aut alio detorquere conabuntur. Tuae vero constantiae erit illis obsistere et nequaquam pati, ut aut eius cursus intercipiatur; aut alio, quam quo hactenus ubertim manavit, malorum hominum fraude nequitiaque decurrat. Perge igitur benemereri de omnibus, eosque noli praeterire, qui quoadusque licuit, bene de omnibus meriti sunt. Neque enim timori locus esse potest, ne tanta perennitas in summa confluentium multitudine imminuatur vel iugiter hauriendo prorsus exarescat. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Baptistae Rezzonico S. R. E. Cardinali S. P. D.

XXII. Quod me insigni beneficio affeceris, id singularis benevolentiae atque humanitatis tuae fuit; quod vero nil tale cogitantem affeceris, est huiusmodi, ut omnem prope humanitatis ac benevolentiae modum superet. Vix ab optimo pontifice romani convictus tibi cura demandata fuit, benevolentia admonitus tua , cogitatione statim in me delatus es , quem tanti boni participem faceres. Existimasti enim nihil a te homini Societatis amantissimo gratius fieri posse, quam ut ei continuo aditum in illum aperires. Tua igitur me inscio sponte suscepta res est , tuo administrata consilio , tua sedulitate perfecta. Tu libellum supplicem perscribendum curasti, tu optimo principi porrexisti, tu quod petebatur impetrasti, quo impetrato nihil tibi maiori curae fuit, quam ut confestim optatissimae rei nuncius deferretur, ratus eo mihi gratiorem fore, quo praeter omnem exspectationem advenisset. Et sane quid mihi expetendum erat magis , quam eam in domum immigrare , tot sanctissimorum virorum commoratione celeberrimam, ubi nata, alta, provecta Societas fuit, et unde per totum terrarum orbem incredibili catholicae religionis incremento diffusa? Quid accommodatum magis aetati huic meae ingravescenti, quam reliquos vitae dies in ea domo transigere , in qua omni remoto strepitu possim multo quietius mihi vivere, et propemodum videri pristinum in statum restitutus? Quid denique optandum magis, quam ibi praestolari mortem, quae non longe a sene abesse potest , ubi extinctus ***ad cineres atque ossa parentis*** apponar ? Quare pro tam insigni beneficio, quas tibi gratias agam ? Nullas certe, quae tantum promeritum aequent aut ei aliquo modo respondeant. Has vero, quod possum, habebo semper quam maximas. Domus, in qua beneficio tuo degam , ipsa me officii mei quotidie

commonebit, neque ego profecto committam, ut frustra commonitus ingratusque coarguar. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri S. P. D.

XXIII. Novam migrationem in Romanum Convictum, de qua ad te proximis litteris, multi fore mihi iniucundam affirmant et male tutam confirmant; ego tamen sermonibus non moveor, minimeque a suscepto consilio dimoveor. Video res quietas non esse; video imminere pericula, quae praestare nemo potest, nisi solus Deus. Quid quaeris? Eam stationem mihi opto diuturnam, opto etiam perpetuam, si secus evenerit, in ea manebo quoad licebit, qui in pristina statione, quoad licuit mansi. Multi multis de causis consilium non probant: sed bene multis probatur, qui mihi valde probantur. Verumtamen ut suscepti consilii rationem aliquam tibi reddam, graves me in hanc sententiam causae impulerunt. Primo scito mihi hoc contubernium praeter omnem exspectationem ultro fuisse a Cardinali Ioanne Baptista Rezzonico convictui praeposito oblatum, ut in hoc quamdam divinae voluntatis significationem mihi visus fuerim agnoscere, cui quidem repugnare nefas duxi. Hoc primum; deinde me sodalium vehementer commovit exemplum, eorum praesertim, qui cum splendide habitarent et laute, in convictum aut se receperunt, aut propediem, ut audio, recepturi sunt. Iam illustre exemplum sequi placuit, nec quidquam mihi fugiendum magis existimavi, quam videri hospitii mei commodis nimio opere addictum. Hoc arbitratus sum nimis ab instituta vitae ratione abhorrere, et pertimui ne offensioni iunioribus nostris essem, iis praesertim, qui nobili loco sunt. Nolui eos senis exemplo ad suam abuti perniciem, ut si quando remeandum sit, in iisdem, quibus se iam feliciter expedive-

raut, haerere laqueis malint, quam ad pristinam filiorum Dei libertatem evolare. Tertio illae ipsae causae, quae suadent serius citius disturbandum esse convictum, mihi illum omnino adeundum persuaserunt. Nova sane ratiocinandi ratio, quae vereor, ut perinde intelligi possit atque ipse cogitans sentio. Si Romae esses, multa coram expressius et liberius. Habes consilii mei rationem satis, opinor, explicatam. Re iam constituta non est cur iudicium exquiram tuum, quod quidem magni facerem, si deliberationi locus esset. Restat ut me Deiparae quae optimorum consiliorum auctoris mater est, etiam atque etiam commendes. Tu me ama, ut facis; de mutuo amore non est cur dubites; scito autem me nulla re magis, quam tuis precibus indigere. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Io. Baptistae Rezzonico S. R. E. Cardinali S. P. D.

XXIV. Oppressus munere tuo nec exspectato nec debito ad te scribo, Cardinalis amplissime, non tam gratias tibi ut agam, quam ut rationem afferam, quare illud neque a me exspectandum, neque vero a te mittendum fuerit. Quid? cum tot in me contuleris beneficia, cum tam multa in sodales meos quotidie conferas, cum multo plura, ut se opportunitas dabit, sis collaturus, exspectandum videlicet erat, ut operam meam, quam in re minima tibi navavi, remunerarere? Si ea alicuius momenti fuisset, viderem sane quare illam aliquo munere dignam existimare potueris. Cum autem nullius pretii fuerit, miror tanti a te esse factam, quanti profecto fieri nec potuit nec meruit. Verum, qualiscumque illa fuerit, certe pluribus tibi nominibus debita erat, ut hac de causa nulla illi remuneratio deberetur. Itaque non potui quin tibi propemodum irascerer, qui homini grato, quam occasionem referendae

aliquo modo gratiae oblatam cupidissime arripuit, officiosissime tu quidem de manibus extorseris atque eripueris. Verum cum principibus viris, qui vere principes, hoc est excelso et munifico animo sunt, liberali hoc in concertationis genere contendi non potest, quorum generosa indoles ea est, ut beneficia cumulare malint atque exaggerare, quam quidquam de eorumdem demere cumulo atque deruere. Itaque cedam, quandoquidem vires impares sunt, et a tua vinci liberalitate patiar, sic tamen, ut quemadmodum ego te liberalem ac munificum agnosco, ita tu me gratum ac memorem beneficiorum existimes, illudque persuasum habeas, nihil me cupere magis, quam operam tibi meam quacumque in re potero, nullo meo commodo atque emolumento impendere. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano Fratri Carissimo S. P. D.

XXV. Vide, quaeso, quam incerta, quam dubia, quam ancipitia sint omnia; nihil ut firmum, nihil constans, nihil stabile sit, ubi tuto possis consistere. Hoc idcirco scribo, ne me in proposito minus constantem existimes, aut nimiae etiam inconstantiae condemnes. Sapientissimi quique et prudentissimi viri consilia sua diversis rerum ac temporum rationibus accommodarunt, neque idcirco leves audierunt: mutationem consilii certa et probabili de causa nemo doctus inconstantiam dixit, nemo damnavit. Quamquam mea quidem non mutatio consilii, sed necessitas fuit. Ego sane certus, firmus, obfirmatus in suscepta sententia fui. Sed quid facias, cum praepotens aliqua se vis interponit, cui resistere nequeas, quae consilium intercipiat et quod sciens et volens certa de causa constitueris, executioni mandare prohibeat? Quare noli me inconstantiae accusare, sed accusa potius, quae est in culpa, inconstan-

tiam temporum, quibus parere cogimur et servire necesse est. Oblata, ut scripsi, optimi Cardinalis beneficentia convictum ingrediendi facultate, aliquid spatii ad ingressum poposci et impetravi. Interea temporis subita rerum conversio facta est et alteri demandata convictus praefectura, mihique in ipso pene ingressu aditus interclusus. Quid faceres? Pedem referre coactus sum. Usque adeo nunc incerta sunt omnia, ut nihil certi possis statuere. Illi ipsi penes quos potestas est, quid sequantur in deliberatione non habent, aguntur potius quam agant, ut mirandum non sit si rerum quoque exitus incerti sint atque eventus. Hoc tamen non impedit quominus omnia Dei nutu non eant, qui vel minus recta hominum consilia sic regit, ut ea ad suam voluntatem mirabili quadam ac plane divina ratione detorqueat. Haec habui quae ad te scriberem, ne me inconstantem existimes, et quo loco res meae sint, non ignores. Vale et me Deiparae valde commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Nomine N. N.

XXVI. Vix accepi litteras Dominationis tuae, quibus mihi vehementer commendas N. N. continuo porrexi SS. D. N. Pio VI libellum supplicem eius nomine, qui fuit a te commendatus; sed cum litterae Episcopi, quas vocant *testimoniales*, desiderarentur, quibus petitor idoneus ad percipienda ecclesiastica beneficia doceretur, confici res non potuit. Huiusmodi litterarum testimonium omnino requiritur, ut id, quod petitur, impetretur. Quare ut primum hae litterae ad me pervenerint, confido fore, ut petitor voti compos fiat. Si quid est aliud, quod a me Dominatio tua, velit, statim ab ipsa litterarum significatione executioni mandabitur; id autem quotiescumque feceris non mihi grave ac molestum, sed praeclarum ducam ac perhonorificum. Vale.

Celsitudini Reverendissimae — Nomine N. N.

XXVII. Tabellarii mora, non mea culpa factum est, si mandata Celsitudinis tuae non ea, qua par erat, celeritate sim executus. Quare, obsecro, illius in festinando tarditatem, non meam in exequendo negligentiam accuses. Statim ab acceptis epistolis tuis, quibus mihi maiorem in modum commendas N. N. nihil non egi, et lapidem omnem, uti scribis et iubes, movi, quo eius causa quod postulabatur a Summo Pontifice impetraretur. Verum cum Romanae Curiae mos obtineat nemini ecclesiastica conferendi beneficia, qui ad ea percipienda exhibitis Episcopi litteris, quas testimoniales vocant, non probetur idoneus, hac de causa, cum litterae desiderarentur, confici negotium non potuit. Has autem ut accepero, confido fore, ut statim res e sententia transigatur. Si quod autem beneficium isthic vacare contingat, me statim certiorem facias, ne petitor is tuus ab aliis petitoribus in petitione sua praevertatur. Si quid est aliud, quod iubeas, scito me ad omnem nutum esse paratissimum. Vale.

Celsitudini Reverendissimae — Nomine N. N.

XXVIII. Quod me ad curanda apud hanc Sanctam Sedem istius Ecclesiae tuae negotia administrum elegeris, est huiusmodi, ut quas pares pro honorificentissimo mihi a te delato munere gratias agam, reperire non possim. Quare quas possum maiores et ago et habeo. Quod autem delatum ad munus attinet ei perinde enitar satisfacere, ac si res mea ageretur, et vero multo etiam magis. Mihi enim ipse ignoscerem, si quid in re mea negligentius a me actum esset, in re autem tua nihil mihi a te ignosci volo. Itaque quantum est in me studii, diligentiae, sedulitatis, istius Ecclesiae tuae commodo defero et libentissime promptis-

simeque impendam, cui quidem maximopere gratulor talem obtigisse Abbatem quo iure gloriari ac merito potest. Vale.

Celsitudini Regiae — Nomine N. N.

XXIX. Quae fuerit Romae cum esses Regiae Celsitudinis tuae erga patruum meum humanitas ac benevolentia te, opinor, recordari. Fuit enim summa ac plane singularis, ut non alienum ab amplitudine regiae dignitatis existimaveris eo familiarissime uti, et pluribus modis studium, quo hominem complectebaris, declarare. Itaque exhibitis tot ac tantis benevolentiae certissimis argumentis nihil prope erat, quod non ille a tanto patrono sperare posset et vero etiam confideret. Hanc vero spem et fiduciam non is quidem moriens secum abstulit sed tanquam haereditariam, atque adeo praecipuam haereditatis partem fratris filio reliquit, ut ego non minus de tua beneficentia, quam ille cum viveret sperare ac confidere mihi videar posse. Scio te Romae, ut reliqui viri Principes solent, nolle non habere aliquem, cui negotiorum, si qua tractanda cum Summo Pontifice inciderint, curam committas. Si me idoneum iudicabis, quem huic muneri praeficias, efficiam profecto opera, studio, diligentia, sedulitate, rebus denique omnibus, ut de me iudicium tuum optionemque confirmem. Ignosce, quaeso, si hac te epistola hac de re sim ausus interpellare. Insignis benevolentia illa tua erga patruum meum, quae effecit ut auderem, eadem facit ut me voti compotem futurum confidam. Vale.

Celsitudini Reverendissimae — Nomine N. N.

XXX. Adventantibus natalitiis feriis officio meo deessem si celsitudini tuae reverendissimae fausta omnia a Deo non apprecarer. Quod cum facio non receptum morem sequor, cui vel inanibus verbis satisfieri facile potest; sed officium reipsa implere volo. Quandoquidem quod tibi apprecor, ex intimo animi mei sensu apprecor. Mihi quidem statim ac me administrum tuum apud Summum Pontificem constituisti, nihil curae magis fuit quam ut citissime a SS. Domino Nostro Abbas renunciareris, quo singularibus meritis tuis, quibus ad hanc dignitatem provectus es, Summi Pontificis suffragium et S. Apostolicae Sedis auctoritas accederet. Verum cum hac de re mandata tua non habuerim, nihil iniussu tuo faciendum existimavi. Exspecto dum mihi significes quid agendum sit, tum vero nulla in me mora erit, quin confestim mandata exequar tua. Quam tibi operam in curando quidquid ad te et ornamenta tua pertineret, iam detuli, iterum defero, nihilque magis opto quam ut studium hoc meum, non verbis tantum sed re ac factis declaretur. Vale.

Pio VI. Pontifici Maximo — Nomine N. N.

XXXI. Quod optime ac sapienter a Summis Pontificibus in decernendo servis Dei publico cultu sancitum fuit, ut non solum de virtutum praestantia, sed etiam de miraculorum veritate constaret, id est et rite factum et praecipua ex parte e sententia perfectum, Beatissime Pater. Virtutes enim servi Dei N. N. post longam acerrimamque disquisitionem insignes inventae sunt et amplissimo decreto *heroicae* declaratae. Restat ut ad miracula expendenda gradus fiat, quo de virtutibus divino accedente testimonio omnis dubitatio tollatur. Hoc quoque con-

fidimus e sententia processurum; cum et numero plurima sint et genere mirabilia, atque omnino supra naturae vires patrata, ut non nisi ab omnipotenti Deo repeti queant. Quae cum ita sint, nihil iam reliquum est, quam ut causam hanc tuo patrocinio foveas ac tuearis. Quod si facies rem eximiae pietati tuae consentaneam facies, causae patrono animum addes, et causa ipsa secunda favoris tui aura provecta citius optatum ad exitum ac felicius perducetur.

Iosephus Marianus Parthenius — Ludovico Preto
S. P. D.

XXXII. Oratio tua quam pro collatis a Bononiensi senatu Iacobo Mariscotto Bersello civi tuo et tui amicissimo, eiusque filiis posterisque omnibus nobilitatis insignibus scripsisti, statim atque ad me perlata fuit, eam et cupidissime legi et mirifice probavi. Atque in hac quidem oratione cum omnia tuo digna ingenio sint, digna sapientia, multa tamen sunt, quae quivis alius nec tam eximii ingenii, nec tam excellentis doctrinae aut omnino non invenisset, aut certe inventa non aeque ac tu feliciter exornasset. Mitto elegantiam, leporem, venustatem etruscae linguae, subtilitatem plurimarum gravitatemque sententiarum, quibus tota contexitur oratio; mitto cetera ornamenta, quibus insigniter et mira quadam varietate distinguitur. Etenim si persequi singula vellem, quae passim occurrunt et legentium oculos fulgore suo percellunt, facile breves epistolae fines transilirem. Itaque ea tantum strictim et cursim attingam, quae maxime exstare atque eminere visa sunt. In primis sic ad argumenti tractationem aggressus es, ut manifeste appareat, te ante quam scripto quidquam mandares, animo sepsisse totum, extremasque illius oras percurrisse, ne quid te fugeret, quod non ratione comprehenderetur et oratione concluderetur. Hoc autem est hu-

iusmodi, quod sine acerrimo ingenio et rei quae tractari debuit intima pervadente, et extima obeunte effici nequaquam potuit, ut mirandum non sit, si omnia ita disposite atque ordine collocata sint ut suum quaeque *locum sortita decenter* obtineant. Adiuncta vero delati honoris sic persequeris, nullum ut suis momentis non expendas, nullum non propriis insignibus illustres atque discrimines. In quo sita cum sit artis oratoriae vis omnis, tum inde ipsa emergit et efflorescit eloquentia. Meritissimum porro virum, cui honos decretus fuit, quam vere laudas! nullum lenocinium, nulla exaggerata laus. Commemoras eius singularem virtutem, eximiam doctrinam, res pro patria praeclare gestas, ut dubitari non possit quin honor non prensationi, non opibus tributus sit, sed uni perspectae virtuti meritoque delatus. Eius vero animi imaginem sic ad vivum effingis, ut me incredibiliter ceperit, et pene tanto honore aeque atque tu gavisus fuerim vehementerque laetatus. Virtus enim etiam absentes nobis conciliat, et facit ut quos nunquam novimus diligamus. Quid? quod eius desideratissimam coniugem quamvis extinctam, non praetermisisti, eamque pene ab inferis excitasti, sive potius, quae commemorabilis eius pietas fuit, e caelo devocasti, cuius a te obiecta singularis eximiaeque virtutis specie similiter atque viri expressa imago fuit. Neque vero a matre separas lectissimam filiam, quae sic laudatur ut facile statui possit, quid sentiendum de reliquis praestantissimorum coniugum liberis sit; nimirum ex tali stirpe tales efferri fructus debuisse, quos ut nunquam degeneres progigni contingat, et vehementer opto et ex animo precor. Haec sunt certe praeclara, haec valde exstantia, ut quemque intelligentem maxime percellant. Sed illud meo iudicio multo praeclarius atque exstantius, quod oratio haec tua est huiusmodi, quae tamquam norma aliqua proponi possit, ad quam cuiuscumque senatus in decernenda nobilitate consulta diri-

gantur. Ex hac enim discitur quid nobilitas sit, quibus potissimum rebus constituatur, qua ratione parari debeat, quibus negari, quibus deferri oporteat. Tum vero quae commoda et ad civilem cultum, et ad publicam utilitatem, et ad virtutis incitamentum ex ea consequantur, aeque docte ac luculenter exponitur. Postremo ne omittam, quod me pro instituti mei ratione percellere maxime debuit, illa pietas ac religio tua est, quae tota passim oratione eminet ac dominatur. Ego sane hanc omnibus huius gravissimae et eloquentissimae orationis tuae ornamentis atque insignibus antepono. Quare, ut finis sit, est sane cur primum Iacobo Mariscotto Bersello, eiusque lectissimis filiis decretam nobilitatem gratuler, deinde senatui Bononiensi nobilitatis honorem tam recte impertitum ac bene collocatum; tum singularem tibi eloquentiam, qui incredibili quodam usus artificio sic ipsum honoris genus totamque in eo conferendo rationem complexus es, ut alterum ab altero commendationem accipiat, alterum alteri mirandum in modum suffragetur. Habet igitur Iacobus Mariscottus Bersellus, tum in decreto senatus amplissimis verbis perscripto, tum in oratione tua disertissime scripta, tum denique in gravissimo Pii VI Pontificis Max. iudicio, qui acta senatus rata habuit praeclarissimum meritorum suorum monumentum nihil ut ei praeterea ad perpetuum familiae suae decus optandum expetendumque sit. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Annibali Oliverio Patricio Pisaurensi S. P. D.

XXXIII. O fortunatae civitates! si cives omnes ea, qua deberent, caritate in patriam essent, aut si id obtineri nequit, unus saltem existeret, qui omnium vices sustineret et tam iusto ac debito pietatis officio fungeretur. Non potui, quin sic exclamarem in ipso epistolae exordio;

usque adeo intimos animi sensus erumpere gestientes sinu continere mihi liberum non fuit. Atque hoc ego nomine fortunatum Pisaurum appello, quae urbs vetustissima et nobilissima te nacta civem egregium et patriae amantissimum per te demum suam sibi dignitatem restitutam gloriari merito potest. Mitto hic plurima, quae tua potissimum cura ad eius ornamentum ab oblivione vindicata illam in amplissimo dignitatis gradu constituerunt. Marmora Pisaurensia a te edita et eruditissimis locupletata animadversionibus quamdiu exstabunt, tamdiu de te, de tua singulari doctrina, de eximia in cives tuos pietate loquentur. Sed haec aliaque huiusmodi missa facio. Venio ad aureum de S. Terentio urbis patrono volumen tuum nuper impressum mihique a te dono missum, et quamvis verba satis idonea non habeam, quibus illius pretium assequar, ne tamen omnino sileam, dicam aliquid, non ut studiorum tuorum peritus aestimator, sed tantum ut tui tuique similium existimator. Mihi igitur videris hoc in opere tuo Virgilianum illum agricolam imitatus, qui *Iratus Sylvam* (*Georg. l.* 3. *v.* 208.).

« *Et nemora evertit multos ignava per annos*
« *Antiquasque domos avium cum stirpibus imis*
« *Eruit; illae altum nidis petiere relictis*
« *At rudis enituit impulso vomere campus.* »

Eodem tu usus consilio quasi horrentem in saltum ingressus, adhibita artis criticae falce, sive potius arrepta securi, deiecisti totum ac funditus profligasti. Tum vero malis stirpibus excisis penitusque eradicatis solum enituit, quod probe a te subactum ac mollitum optimo accipiendo semini evasit idoneum. Itaque tria extulit, quae in S. Terentio maxime expetenda erant; primum ut civem, deinde ut Episcopum, tum denique ut Martyrem fuisse Pisauren-

sem plane ac liquido constaret. Haec autem tria tanta eruditione pertractas, tam validis argumentis confirmas, ut mihi quidem, quod ostendendum suscepisti, persuaseris. Macte ista tua plane eximia in reconditis rebus investigandis facultate, quae a te pium ad usum traducta cum tibi apud homines nominis famam, tum vero apud Deum beatam animi conferet immortalitatem. Ego sane me ad ista tua studia libenter contulissem, sed rei magnitudo semper ac difficultas deterruit, ut tam multa, tam varia memoria sepire, tam dispersa ac dissipata colligere, collecta expendere, ac diiudicare me posse desperarim. Delibavi quidem aliquid ex iis, sed eatenus, ne omnis omnino antiquitatis expers, et ieiunus essem. Sacra fateor me praesertim cepisset antiquitas, sed cum iisdem, quibus ad profanam mihi utendum esse viderem praesidiis, meque iis destitutum viderem, consultius duxi hanc quoque sacrae eruditionis partem idoneis hominibus excolendam relinquere. Quare satis habui Romanas obire Basilicas, et sacra Martyrum circuire sepulcra, et quae magis obvia paulo attentius inspicere et observare. Tu vero utrumque complexus es, et sacra pie veneratus monumenta et docte atque erudite persecutus. Quae duo insigniter eminent in hoc egregio opere tuo, ut religio certet cum eruditione, sic tamen ut eruditio a religione vincatur. Verum ne omnia laudare videar, et nihil carpere, dabis mihi hanc veniam, ut quod addis in fine operis, reprehendam. Ais enim *(pag.* 143.) *Adventasse tempus, quo vela contrahas.* Quid? si aliis in studiis versareris, probarem consilium; cum vero in his tam piis ac religiosis verseris, probare omnino non possum. Quomodo, amabo te, ad beatae *aeternitatis* portum certius velificari potes, quam persequendis istiusmodi studiis, quae navigium tuum, quo contendis feliciter provehent. Cum in aliis studiis ad fovendam pietatem non pertinentibus extingui minime optandum est, tum in istis

tuis immori valde expetendum arbitror. Perge igitur bene de patria, de civibus tuis, de religione mereri, et noli in urgendo tam pia et iusta de causa suscepto instituto defatigari. Non modo non contrahe, sed pande, laxa, intende vela; utere aura, quae tibi ab eminentissimo Episcopo secunda spirat; neminem certe iustiorem lucubrationum tuarum aestimatorem nec tui studiosiorem nancisci poteras. Verum, ut ubi epistola exordium duxit, ibi exitum habeat; fortunatum iterum Pisaurum appello, quod ei talis obtigit civis, cui tantum debeat, quantum nemini. Quod *si duo praeterea tales urbs ista tulisset* praestanti doctrina et eximia pietate viros, non modo cum multis Italiae urbibus de praecellentia contendere, sed praecipuas etiam aequare posset. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXXIV. Lectis litteris tuis, quas ad me proxime dedisti, perculsus equidem fui vehementerque commotus, et me continere non potui, quin statim hanc ad te epistolam dictarem. Eo enim omni exhibendo officio progressus es, quo progredi certe ulterius non poteras. Quid? te ne, isto loco ac dignitate cum sis, confestim ab acceptis litteris meis, nisi valetudo obstitisset, mei unius gratia in viam daturum fuisse, ut Eminentissimum Episcopum convenires, coram alloquereris, causam meam ageres, mihique patrocinarere? Nihil ne te aetas ingravescens? nihil longinquitas viae? nihil equitandi incommodum? nihil denique anni tempus faciendo itineri minus idoneum deterruissent? Haec huiusmodi sunt, quae ego nec verbis assequi possum, nec ulla referenda gratia consequi unquam potero. Quod vero scribendi laborem susceperis, ut absens per litteras efficeres, quod praesens exequi prohibebaris cum id singulari benevolentiae erga me tuae consentaneum fuit, tum non

dubito quin summum pondus apud Eminentissimum Principem perinde habiturae sint litterae tuae, ac si ipse praesens adesses. Quare de hoc negotio, quod tanto patrono nitatur, video mihi non amplius esse laborandum, et in uno studio tuo ac sedulitate conquiescendum. Plura non addo, quandoquidem, ut dixi, nulla neque mea, neque cuiusquam oratio esse potest, quae tam eximiae benevolentiae pariter aequaliterque respondeat. Vale.

Vix hac epistola conscripta et nondum obsignata, ecce altera a te prioris germana atque adeo gemina amore, studio, humanitate, benevolentia, ceterisque effusissimae voluntatis significationibus. Hic ego rursus non habeo quid dicam, nisi esse me plane oppressum officiorum tuorum pondere, ut omnino cogar succumbere. Tu vero valetudinem tuam cura diligenter, teque amicis, patriae et communi utilitati bene valentem atque incolumem serva. Cum Isabella Molaria e Corano suo, ubi, ut audio, recte se habet, Romam redierit, plurimam lectissimae et nobilissimae feminae tuo nomine, uti iubes, salutem impertiam. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXXV. Quod susceptum a te mea causa negotium feliciter confectum fuerit, ut plurimum tribuam summae eius auctoritati, et dexteritati, qui illud bona utrinque gratia transegit, dubitare tamen non possum, quin officium quoque tuum ad idem e sententia conficiendum multum contulerit. Quod vero tibi curae fuit, ut istud ipsum mihi ante per litteras significares, quam aliunde ad me perlatum esset, hoc profecto satis declarat singulare studium hac in re tuum. Et sane postridie ab accepta epistola tua huiusce rei notitiam mihi detulit Cardinalis Zelada, qui litteras Eminentissimi Episcopi legendas tradidit, ex qui-

bus intellexi quanta contentione causam meam egerit, ac proinde quantum ego ei debeam, quantoque ille me sibi beneficio obstrinxerit. Itaque, quae ab amplissimo Cardinali constituta sunt, rata habeo; nihil addo, nihil demo, nihil immuto, ut mihi quidem, si aliter hoc in negotio me gererem, illiberalis ac merito reprehendendus viderer. Tanto ac tantae auctoritatis arbitro repugnare nec possum, nec debeo; nec si possem, vellem. Mallem aliquid de meo iure remittere, atque adeo totum ipsum ius abiicere, quam id committere, unde parum officiosus existimarer. Non omittam Eminentissimo Principi scribere, eique quas potero maximas pro accepto beneficio gratias agere. Tibi vero, qui cura, opera, studio mihi hoc in negotio affuisti, nihil unquam habebo prius quam ut me gratum ac memorem, quacumque re potero, ostendam. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ianuario de Simone S. R. E. Cardinali et Episcopo Pisaurensi S. P. D.

XXXVI. Acceptis humanissimis duabus epistolis tuis perculsus equidem vehementer sum, praesertim illam cum legi, quam reiecta librarii opera, manu ipse tua exarare non alienum a summa dignitatis amplitudine existimasti. Obstupui enim vero, ut quae oculis usurpabam, oculis ipsis testibus vix crederem. Opuscula mea, quae tibi dono misi, ut gratum pro accepto insigni beneficio animum, quo modo possem, ostenderem, tot cumulas laudibus, quot profecto me potuisse unquam promereri ne in mentem quidem venit. Quid hic ego dicam? Non possum in primis in tanta significatione verborum, in tanta laudum redundantia, exuberantiam quamdam benevolentiae erga me tuae non agnoscere. Quid? tantumne mihi tribuis ingenii et eloquentiae, ut affirmare non dubites, te opera mea cum in manus sumpseris, legendo satiari non posse? Verecundor equidem,

nec habeo quid reponam; sed vereri subit ne illa ipsa benevolentia sensim irrepserit, scribenti affuerit, et de suo certe non parum epistolae tuae asperserit. Verum ne gravissimi et doctissimi viri iudicium videar aspernari, quod tua sine iniuria facere nequeo, sic iudicium tuum accipio, ut siquid est in lucubrationibus meis laude dignum illi uni referam acceptum pietati, quam laudas. Quod vero spectat ad alteram epistolae tuae partem, ut in prima eximiam benevolentiam agnovi, ita in hac singularem admiratus sum modestiam tuam, qua affirmas munusculum illud meum nullis fuisse tibi nominibus debitum. Quid? Parumne de me fuisse te meritum arbitraris, qui amantissimis officiis tuis mihi praestitisti, ut tantum constitutae pensioni accederet, quantum novum vitae genus necessario capessendum requirebat? Si hoc illustre meritum; si insigne beneficium non est, quae obsecro, merita et dicentur et ducentur? quae beneficia habebuntur et appellabuntur? Ego vero haec tanti faciam, ut ut illa coneris extenuare, quod munifici viri solent, quanti merentur; pro quibus quam maximas possum gratias, et ago nunc, et quoad vivam me semper habiturum profiteor. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Petro Aloisio Galletto Episcopo Cyrenensi S. P. D.

XXXVII. Cum volumen forte quoddam epistolarum in manus sumerem, illudque, uti fit, pervolutarem, in schedam incidi, quae funebrem orationem Thomae Phaedri Inghirami in laudem Petri de Vicentia Episcopi Caesenatis a te editam indicabat. Obiecto tuo nomine, statim iniecta legendi cupiditas orationem, quae tibi digna visa fuit, quam in publicam lucem emitteres. Illam facile inventurum arbitratus sum, si anecdota litteraria adirem, quorum mihi copiam privata humanissimi hospitis mei bi-

bliotheca sufficiebat. Et vero mea me non fefellit opinio; reperi quod volebam. Legi orationem, probavi argumentum, atque in primis editoris iudicium, qui in magna huiusmodi monumentorum copia ita optionem moderatus est suam ut e multis mala secreverit, potiora elegerit ac plane digna, quae publici iuris fierent, atque a datis hominibus legerentur. Neque enim hoc in collectionum genere, ut arbitror, virum doctum Bibliothecae, unde aliquid depromptum est, dignitas movet, sit illa vel Vaticana, vel Medicea, vel, si existeret, illa ipsa Palatina ab Augusto constituta et Apollini consecrata. Ut istae Bibliothecae electissimis voluminibus abundent, fieri tamen non potuit, quin multa in illas fuerint illata, plane indigna, quae tanta tam illustrium locorum amplitudine exciperentur. Illa vero magna vocabula *codicis ms. membranacei, vetustissimi,* qui aliquid sapit, contemnit ac ridet. Multa enim in codices vel antiquissimos inepta atque insulsa relata sunt, quae si evadere temporis iniuriam potuerunt, non idcirco doctorum hominum vitare censuram possunt. Adde quod vel magnorum virorum, quorum illustre nomen est, et opera vulgo probata, auctoritas et celebritas commovere nos nequaquam debet. Non enim omnia, quae ipsi scripserunt, ipsi probarunt. Ii quoque, ut bonus Homerus, dormitarunt interdum, quibus nos, ut Homero Horatius, irasci aequum non est. Quotus enim quisque reperitur, qui ita semper scribat, ut non possit melius? Immo vero quis est vel sapientissimus, cui inter scribendum aliqua non excidant, quae a se scripta nolit. Multa non succedunt ex sententia, multa praeter sententiam, multa contra sententiam. Quid? quod non pauca reiecta ab ipsis fuerunt, neque digna sunt habita, quae vulgarentur. Haec vero si quis in eorum adversariis reperta evulget auctorum nomine et celebritate permotus, parum profecto eorum famae consulet atque existimationi. Vides, opinor, quo mea

haec spectet oratio; eo nimirum iudicium ut tuum probem, qui in huiusmodi electione ita te gesseris, ut electio neque certior, neque exquisitior esse potuerit. Gravis est oratio, quam edidisti, grave argumentum, et graviter luculenterque tractatum. Quare electionem ego tuam tibi summopere gratulor, tibi inquam acris iudicii, et singularis doctrinae viro. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Stephano Borgiae de Propaganda Fide a secretis S. P. D.

XXXVIII. Cum alia de causa haud ita pridem anecdota litteraria in manus sumpserim, ea de manibus non ante deposui, quam voluminum indiculos percurrerem, in quibus ut tuum mihi nomen obiectum est, statim iniecta legendi cupiditas. Ego vero quamvis aegre admodum ab anecdotis Ciceronianis oculos deflectam, cupide tamen ad ea converti, quae tu publica luce digna existimasti acri delecta iudicio. Inter haec kalendarium vetus me cepit undecimo seculo exaratum. Huiusmodi sacrae antiquitatis monumenta quanti prae reliquis facienda sint, non est cur ego pluribus hic verbis declarem. Perspicuum enim est valere plurimum ad catholicam Religionem confirmandam, et ad debitum sanctis viris cultum asserendum. Vetustissimus in Ecclesia Catholica Martyrologiorum usus fuit, quibus vetustas ipsa conciliat auctoritatem. Horum originem sunt qui repetant ab Eusebio Pamphilo Episcopo Caesariensi; sed haec sententia Baronio non probatur, qui primam originem multo altius repetendam censet. Discriminanda etiam sunt ab actis martyrum ab ipso Ecclesiae exordio scribi solitis. Haec uberiora sunt, illa pauculis comprehensa verbis, quo breviora, eo maiorem praeseferunt notam antiquitatis. Non enim maiores nostri in Martyrologiis conficiendis historiam scribere voluerunt, sed satis putarunt

singulis anni diebus sanctorum nomina adscribere, aut paulo plus addere, quo legentium memoriam commoverent. Hoc ipse Martyrologiorum usus edocet, qui instituto suo quotidianus cum sit, legendo fatigare lectores non debet, sed tantum aut indicare Martyrium, aut solummodo enunciare nomen, quo quisque die aut passus sit, aut insigni virtutis opinione decesserit. Quare alio nomine Martyrologia vocari indices possent, quos apud se habuisse S. Gregorius Magnus epistola ad Eulogium Alexandrinum data testatür illis verbis; *Nos vero pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione solemnia agimus.* Quod quidem fieri non potuisset, nisi uno prope intuitu subiecta oculis eorumdem nomina fuissent. Itaque illa subdit, quae hoc scriptorum genus distinguit a reliquis: *Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, et dies passionis ponitur.* Haec porro brevitas certissima antiquitatis nota Martyrologium mirifice commendat tuum, ut merito ac iure undecimo seculo tribuatur. Regredi etiam meo iudicio ad multo superiorem aetatem posses, regressum non prohibentibus adiunctis quibusdam, quae undecimo seculo posteriora, consequenti tempore ad pleniorem uberioremque notitiam addi potuerunt, cum praesertim addita quae sunt, ut recte animadvertis, recentiori charactere perscripta sint. Adnotationes vero, quas adscribis, exiguae quidem numero et perbreves, sed huiusmodi, quae reconditam tuam doctrinam declarant, et singularem in sacra antiquitate indaganda solertiam. Servi igitur hoc modo pietati, consule religioni, et perge tum de christiana, tum de litteraria Republica benemereri. Quotiescumque aliquid huiusmodi edideris cupidissime legam. Nihil enim malo quam a sapiente ac religioso viro ad doctrinam et pietatem erudiri. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Annibali Oliverio Patricio Pisaurensi S. P. D.

XXXIX. *Sera gratulatio reprehendi non solet (ad fam. L.* 2 *ep.* 7) . Sera autem gratiarum actio reprehendi omnino debet. Iam tibi a me pridem gratiae debebantur pro tribus a te mihi dono missis voluminibus tuis, quorum primum de ***Baptisterio Pisaurensi***, alterum de ***monumentis S. Mariae a Monte Granaro prope Pisaurum ;*** tertium item de ***monumentis Novilariae Pisaurensis ditionis oppidi***, quae quidem statim atque ad manus meas pervenerunt, cupidissime legi, et, ut reliquos ingenii tui foetus, mirifice probavi. Negligentia autem mea factum est, ut tam sero tibi gratias agam, et debito hoc officii munere perfungar. Confido tamen ingenuam hanc atque apertam confessionem meam mihi a te viro humanissimo veniam impetraturam. Quod vero ad seram gratulationem attinet, ne haec quidem culpa vacat. Additur enim ***praesertim si negligentia praetermissa non sit.*** Atque hic ego rursus negligentiam fateri et accusare cogor meam. Ea enim, quae me desidem in gratiis agendis, in habenda gratulatione inertem fecit. Verum quod omissum suo tempore fuit, ne praetermissum omnino sit, nunc utrumque officium complexus, et maximas gratias ago, et tibi viro doctissimo elaboratissimas lucubrationes tuas summopere gratulor. Semper enim in omnibus lucubrationibus tuis eximiam doctrinam, acre iudicium, multiplicem eruditionem, singularem antiquitatis notitiam sum admiratus; illud vero praecipue suspexi, quod non dicta dicis, nec ab aliis vulgata iterum evulgas, sed multa plane nova, a te comperta, ac de tuo maximarum et reconditarum rerum locupletissimo penu deprompta in medium affers; contra atque bene multi nunc in hoc ipso eruditionis genere faciunt, qui magnum quiddam se praestitisse arbitrantur, si edita quae-

que nullo discrimine collecta in unum aut plura coarctarint atque compegerint. Hos ego sane operarios verius, quam auctores dixerim, exscriptores citius quam scriptores appellandos existimarim. Quid vero illi, qui summo studio bibliothecas scrutantur, et si quid forte non editum offendunt, describunt statim nullo delectu, et operae se pretium facturos censent, si in lucem proferant; et isto modo multa a blattis vindicent, quae consultius blattis consumenda relinquerent? Horum tu e numero eximeris, vir doctissime, qui multo, atque isti, aliter te geris, sic ut et iure scriptor et auctor habendus sis. Tu quoque, quod necesse est in isto tuo studiorum genere, bibliothecas adis, scrinia pervestigas, tabularia scrutaris; sed in hoc ipso elucet delectus, eminet doctrina, iudicium dominatur, quo adhibito multa abiicis, potiora eligis, optima quaeque excerpis et magnorum futura operum instrumenta seponis. Quod si interdum adigeris (neque enim omnia commentatione ipsi nostra invenire possumus,) nonnulla ab aliis mutuari, sic in lucubrationes inducis tuas, ut non aliena, sed tua plane sint; tam scite ac venuste tuis illigas scriptis, ut non aliunde delata, sed ad rem ipsam, quam tractas, facta ac propemodum nata videantur. Quare mirandum non est si quae publici iuris facis communi plausu excipiantur, et ab idoneis tuorum studiorum aestimatoribus tanti fiant, quanti merentur. Hoc est meum de tuis generatim atque universe operibus iudicium, (nam singula expendere epistolae modus non sinit) quod quidem sic accipias velim, non ut ab homine docto profectum, sed ab eo, qui recto aliquo sensu, quo nos omnino natura expertes noluit, ad optima quaeque in quoque genere probanda ducatur. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Annibali Oliverio Patricio Pisaurensi S. P. D.

XL. Clavum aeneum, lucernam fictilem, fictilem item urceolum, quae mihi naufragium reliqua fecit, ad te mitto, vir clarissime et eruditissime. In his, si unam antiquitatem demas, nihil est, quod sit magnopere expetendum. Quamquam ne id quidem, cum vulgaria sint, nec ullis insignioribus notis distinguantur, ut in magna copia prorsus vilescant. Itaque verecundor equidem haec ad te mittere, qui huiusmodi vel rarissima supellectile abundas, cuius lautissimum apparatum tanto studio ac tam exquisito delectu instruxisti, ut non tam tibi, quam patriae tuae sit ornamento. Quare a te non peto, ut reculas has meas minimi sive potius nullius pretii, in tuam pinacothecam inferas, quas non dubito, quin ipsa loci dignitas, atque amplitudo repudiatura sit; sed tantum posco, ut animum offerentis spectes, easque tamquam naufragi hominis reliquias excipias, quas tibi tanto gratiores fore confido, quanto casus miserabilior fuit et calamitosior. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Vito Iuvenatio sodali suo S. P. D.

XLI. Quod, quae nuper eruditissime super Hilarii hymno scripsisti, me legere volueris et mecum quodammodo communicare, id summae humanitatis tuae fuit; quod autem meum de lucubratione tua iudicium exquisieris, id vero modestiae singularis et nimiae, quam de me habes, contra atque ego merear, existimationis. Nam quid in tuo opere elaboratissimo, non dicam a me, qui aliis in studiis versatus sum, sed a quovis alio hoc ipso in studiorum genere apprime versato animadverti potest, quod aciem ingenii tui, omnia circumspicientis, cuncta

ponderantis, et discutientis fugerit? Atque ego quidem ne omnino sileam, quantum intelligentia consequi potui, vehementer obstupui, ut vix mihi legenti crederem, tam multa, tam recondita, tam varia a te, perinde ac si in uberrimo argumento versareris, ex uno alteroque versiculo elici potuisse. Quod cum singulari quadam facultate praestiteris, mihi visus es in hoc naturam imitatus, quae ex minimo semine tantas arbores progignit tanto trunco, tam longe lateque diffusis ramis, ut propemodum instar nemoris habeantur. Nimirum acuto vir ingenio, lectione plurima, tenaci memoria ea animo comprehensa habet, quae quivis alius non eadem facultate praeditus, nec iisdem doctrinae praesidiis instructus aut non tenet, aut non meminit, aut quibus aptari congruenter usibus possint ignorat. Tu vero sic ad scribendum accessisti, ut pectus plurimarum et maximarum rerum copia refertum, atque, ut Tulliano vocabulo utar, *oneratum* attuleris, unde mirandum non est, si tanta sese ubertas tamquam ab inexhausto fonte profuderit. Neque vero solam in hoc tuo scripto ubertatem suspexi, sed illud attente legens, nisi fallor, studiorum tuorum rationem mihi videor assecutus, quae in medio posita, et cuiquam vel mediocriter erudito non ignota negligit atque aspernatur, et nova quaedam pervestigat et longe seposita ac retrusa persequitur. His, ut opinor, maxime caperis, his delectaris in quorum indagatione unus maxime emines atque praecellis. Hinc recondita doctrina illa tua non ab aliis accepta, sed a te tibi ipsi et acerrima contentione et diuturna commentatione comparata. Hinc rectum illud de quaque re, quam examinandam discutiendamque suscipis, certissimum iudicium. Hinc denique virtutes illae, quae tua scripta insigniter ornant, et prae reliquis, quae hoc in genere passim eduntur, peculiari quadam tuique propria nota distinguunt atque discriminant. Iam de locutione castigatissima quid

dicam? de qua ferre iudicium fortasse possum, certe ut possem diu multumque laboravi. Tam mihi latina, elegans, pressa et limata visa est, quam illi videri debuit, qui in animadvertenda pro ingenii sui modo viri omnium disertissimi aurei sermonis elegantia plurimum operae collocavit. Quod mihi quidem mirandum visum est magis, quod plurimorum lectione auctorum, unde argumenti petenda erat materies, elegans oratio tua vitiata nequaquam fuerit atque corrupta. Haec habui, quae de elaboratissima ac doctissima lucubratione tua ad te parce et moderate scriberem, ut decet de alieno artificio, atque haec quidem, non iudicium ut interponerem meum, qui tantis de rebus suspicari vix potui, sed ut agnoscas, eam me attente summaque cum voluptate legisse. Reliquum est, ut te horter atque adeo obsecrem, ne eam domi abditam et obseratam continere velis, sed foras atque in lucem prodire sinas, ut idoneos iudices nanciscatur, quorum in manus si venerit, non dubito, quin praestantissimum praeclarissimi operis auctorem merita sint laude prosecuturi. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Laurentio Santenio I. C. S. P. D.

XLII. Etsi iam pridem musis nuncium remiserim, et poetica studia aetati huic meae in dies magis ac magis ingravescenti et ad praestitutum a natura vivendi exitum magnis passibus approprinquanti nequaquam sint amplius accommodata; me tamen continere non potui, quin *Traiectensem* Sexti *Aurelii Propertii* editionem tuam, cuius mihi copiam communis amicus Vitus Iuvenatius perhumaniter fecit, in manus sumerem, totamqne pervolutarem. Quid vero de ea dicam aut sentiam? non aliud certe, nisi quod editio ipsa de se loquitur ac praedicat. Esse nimirum sive rerum copiam, sive exquisitam eruditionem, sive accura-

tam diligentiam consideres, numeris omnibus expletam nihil ut ei desit, nihil ut addi, nihil mutari, emendarique posse videatur. Optandum quidem fuisset, ut a Petro Burmanno Secundo viro doctissimo atque institutore tuo, qui ad eam adornandam multos annos impenderat, et dimidia iam parte opus typis commiserat, óptandum, inquam, ut perduci ad exitum potuisset. Sed quandoquidem in ipsa operis molitione e vivis erepto id negatum fuit, nihil opportunius contingere potuit quam ut inchoatum opus in manus tuas perveniret, qui illud sic absolveres, ut praeclaris summi viri inceptis plane congrueret ac responderet. Et vero te tamquam scientissimum architectum praestitisti, qui alieno admovens aedificio manus tanta illud adiunctarum proportione partium ac tam apta descriptione exaedificasti, ut ei magnificentius a quovis alio imponi fastigium non potuerit. Qua in re dicam id, quod plane sentio, sic praestitisti, ut mihi quidem tanti operis non *perfector,* sed molitor, et auctor visus sis, usque eo ut multa quae addidisti de tuo consentiant cum reliquis, et unum quid efficiant miro quodam artificio ex pluribus coalescens atque compactum. Quare primum gratulor Petro Burmanno institutori tuo, qui talem ac tantum discipulum nactus est, qui totam studiorum suorum rationem non didicerit solum sed penitus animo combiberit. Deinde tibi, vir doctissime, editionem perfectam et longe locupletiorem effectam, quam non est cur dubites, quin evasura sit *et amicissimis* quos appellas institutoris tui *manibus,* et utriusque nomini honorificentissima. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Antonio Morcellio sodali suo S. P. D.

XLIII. Amicitiae nostrae iam pridem institutae et communis sodalitii officio viderer deesse, si praeclarissimum

opus non multos ante annos a te inchoatum et paucis oppido annis incredibili felicitate confectum, atque evulgatum minime gratularer. Et vero si opus ipsum spectetur, tale iudicari debet, ut nullum adhuc hoc quidem in genere editum sit, quod cum tuo conferri possit. Veteres quidem inscriptiones colligit et comprehendit, quod multi ante te praestiterunt, sed quid tandem in his praeter laborem, curam, et diligentiam laudandum putes? Tu vero multo aliter te gessisti, et aliud quiddam longe praestantius atque utilius secutus instituisti opus plane eximium ac singulare, et quod ante te nemo. Ac primo quidem in antiquarum inscriptionum infinita copia ita versatus es, ut multis nullius momenti omissis ac repudiatis, potiores tantum et aureo saeculo dignas elegeris. Ad hunc delectum accessit accurata descriptio, ut singulas in ordinem redigeres, et ad suam quamque classem revocares. Qua in re boni imperatoris munere mihi functus videris, qui palantes vagosque milites primum congregat in unum locum, tum sua cunctos sub vexilla certo duci parere iubet. Hac ratione tu collectas atque ordine dispositas, eas demum ad usum, quem tibi proposueras, accommodasti. Artem nimirum novam scribendarum ad vetera probatissima exemplaria inscriptionum marte tuo excogitasti, et omnium princeps condidisti. Quod quale quantumque sit, is tantummodo aestimare poterit, qui solus invenit, solus aggressus, solus effecit. Atque hoc illud est, quod Tullius in iure civili vehementer optabat, ut existeret aliquis ea scientia et facultate praeditus, qui ius civile dissolutum adstringeret, dispersum colligeret, in suas partes digereret ac demum artem efficeret, qua facile addisci posset; simile quid et vero prorsus ad ingenium sapientissimi viri factum a te in praeclaro opere tuo atque perfectum, ut qui velit ad veterum elegantiam atque excellentiam inscriptiones conficere iam non artem desideret, non amplius praecepta re-

quirat, quibus pareat, et aliquid Augusti aevo dignum efficiat. In eo enim rite atque ordine locata omnia, nihil omissum, nihil neglectum, certi praescripti canones, enunciata genera, subiectae generibus species, apposita exempla, praenomina, nomina, cognomina diligenter notata, usus vocabulorum demonstratus, characteres ostensi, contractae ac decisae notae, explicatae lineae, definita puncta, apices indicati, modus denique, ratio, stilus expressus sic, nihil ut a quoquam harum rerum intelligentissimo ac studiosissimo requiri praeterea posse videatur. Quare vides esse, cur seposita etiam amicitia quae tametsi adulari quemquam vetat, tamen adeo blanda conciliatricula est, ut eius lenociniis aegre admodum resisti possit, seposita, inquam, amicitia vides esse cur tantum opus non tam ego tibi, quam toti reipublicae litterariae gratuler, quo opere nova liberalibus studiis accessio facta est, quae quanto frequentius expetitur, tanto rarius contingit. Plerique enim dicta dicunt, ut litteraria scrinia onerent potius, quam locupletent. Vale, et me Deiparae more solito commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — N. N. Fidei Promotori S. P. D.

XLIV. Quandoquidem epistola non erubescit, haec ad te scribo, quae mihi ingenitus quidam pudor paullo liberius atque apertius coram effari fortasse prohiberet. Cum tibi SS. D. N. Pius VI facultatem dedisset *Lectiones* de S. Adalberto episcopo et martyre a me conscriptas cognoscendi, et nisi quid obstaret, etiam probandi, male profecto te gessisti cum doctore olim tuo. Cui enim hac in re gratificari debuisses, adversari maluisti. At quibus de causis? Duo obiecta sunt, quae quidem si a te excogitata existimarem, tibi certe ingenioque tuo iniuriam facerem, quod quam acre et experrectum sit, iam inde ab eo tem-

pore perspexi, quo mihi traditus in disciplinam adolescens fuisti. Praeterquamquod plurima huius ipsius ingenii in Romano foro et dedisti et edidisti documenta, quae te ad hanc dignitatis, quam nunc obtines, amplitudinem merito provexerunt. Quare vix adducar ut credam, illa duo tibi in mentem venisse, sed aliunde accepta suspenso animo nec re satis considerata adoptasse. Illa enim eo spectant, ut de causa iam iudicata et quidem a iudice omnium gravissimo et maximo novum iudicium institueres, quod quale sit, tute ipse vides, qui in iure civili apprime versatus es. Obiectum primum fuit, Sanctum Adalbertum reliquisse saepius episcopatum; tu vero religione nescio qua commotus veritus es, ne recentibus episcopis exemplum huiusmodi scandalo atque offendiculo esset. Hoc primum; deinde eundem errabundum esse quoddam vitae genus amplexum, nulla ut certa sede consisteret Mitto hoc loco innumerabilia ex innumerabilibus historiis sanctorum virorum, qui et episcopatum reliquernnt et peregrinati sunt, colligere et coacervare exempla, quibus haec duo obiecta diluuntur, ne ineptus sim et supervacaneae eruditionis famam videar aucupari. Vitae ratio, quam S. Adalbertus tenuit, tum ob avitam nobilitatem, tum ob insignem sanctitatem satis nota et testata fuit. Vixit enim plures annos Romae in luce atque oculis urbis omnium principis, summo pontifici notus et *Othoni III* imperatori, qui non semel Romam venit, usque eo *venerabilis* ut nunciato sancti viri martyrio statim in Pannoniam perrexerit et exportatis inde S. Martyris reliquiis in insula Lycaonia, quae nunc S. Bartholomaei appellatur, Basilicam ei construxerit ac dedicarit. Neque vero ut tua obiecta diluam, non iusta de causa episcopatum sanctus vir reliquit; sed desperato eius agri, qui sibi excolendus obtigerat, fructu, *ne littus araret*, Romam venit. Iussus post aliquot annos a pontifice ad episcopatum redire, paruit; sed desperato iterum fructu, Romam reversus est.

Tertio denique eiusdem pontificis eodem iussu, sed eodem prorsus eventu remeavit. Ad extremum divino instinctu eo concessit ubi martyr effectus sanctissime obiit. Quid in hac ratione vitae reprehendi iure possit, ego sane non video. Non vidit pontifex, non vidit Otho imperator, nec horum quidquam impedimento fuit, quin statim ab obitu ei sanctorum honores decernerentur, cum et relicti episcopatus et susceptarum peregrinationum memoria quam recentissima esset. Haec clara sunt, aperta, perspicua, manifesta, atque huiusmodi, quae neque tu, neque alius quisquam possit refellere. De re igitur iam definita a pontifice maximo, atque adeo ab ecclesia universa, quae pontificio oraculo adhaesit, novum institutum iudicium a te fuit, et quidem ita ut damnare quodammodo ecclesiae ipsius iudicium videri possis. Nam, obsecro, quae a te obiecta sunt, rectene, an secus esse obiecta arbitraris? Exspecto quid dicas; unum de duobus eligas necesse est; utrum elegeris, teneberis. Si recte, illud necessario consequitur, ecclesiae iudicium una cum meis esse lectionibus repudiandum; si secus, maneat ergo ecclesiae iudicium et lectiones meae, quae ipsi iudicio conformes sunt, probentur. Hic quid responderi possit, ego sane non video. His accedit, quod tametsi levius est, tamen non est praetermittendum, non ecclesiae solum, sed sacrae etiam rituum congregationis a te concerptum fuisse iudicium. Cum enim exhibitae fuerint Sancti Adalberti lectiones Pragae impressae, atque ab ipsa congregatione iam olim probatae et in tota Boemia, Moravia, et Silesia recitari solitae, quae cum meis prorsus congruebant, quid causae fuit cur illae probarentur, meae autem repudiarentur? Hic quoque redit dilemma, quod te urgeat, et in eas, quas supra, coniiciat angustias, ex quibus quemadmodum extricare te possis ignoro. Hactenus haec, quae ad hanc controversiam pertinent. Sed quandoquidem sese obtulit occasio, effundam reliqua, quae

me non mediocriter nec immerito commoverunt. In editis S. Theodorae matronae Romanae a me scriptis Lectionibus non quidem a te, nolo enim quemquam iniuria insimulare, sed a collega tuo reprehensum est, a me scriptum fuisse, minime dubitandum quin praeter caritatem, *quae una ex Actis constabat,* reliquis etiam christianis virtutibus praestiterit sancta matrona. Recte admodum, opinor, et Actis congruenter. His nequidquam reclamantibus coactus sum emendare, seu potius quòd recte scripseram corrumpere et temere affirmare eamdem virtutibus omnibus ulla sine circumscriptione praestitisse. Quid? quod iisdem in lectionibus collega idem tuus, novam personam, et a suo munere prorsus alienam suscipere et linguam latinam doctorem olim suum docere, seu potius dedocere minime veritus est. Notavit vocabulum *excavandum,* tanquam minus latinum et barbarum. Quid facerem? parui facilitati his in rebus meae. Induxi *excavandum,* suffeci *effodiendum:* ceterum verbum simplex *cavo* latinissimum est. Virg. in Geor. lib. 1. ver. 262. *cavat arbore lintres.* Compositum usurpatur a Plinio argenteae aetatis auctore, qui in Historia Naturali lib. 2. cap. 33. scribens de hirundinibus ait: *Tertium genus earum est, quae ripas excavant.* Cicero Actione in Verrem 6. cap. 27. *Trulla excavata cum manubrio aureo.* Idoneus enimvero latinitatis auctor, cui me commutata vice in discipulum tradam. Haec ad te scribo, conscio viro doctissimo, qui et mihi assensus est, et meam hanc querimoniam iustam esse pronunciare non dubitavit. Neque vero credas velim me omnem aut ingenio meo aut eius sodalitatis, cui nomen dedi, detrectare censuram. Immo vero, quod ad me attinet, nihil amo magis quam redargui iure ac reprehendi. Qui latinas epistolas meas, me extincto, leget, nihil a me verius affirmari certo comperiet; sed quam iustam amo censuram, tam odi ineptam, nulla ratione innixam, atque uno suffultam supercilio. Vale.

LIBER QUARTUS

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

I. Postrema epistola tua commemoratione urbis Cremonae admonitus subito incensus sum desiderio sacrum adeundi S. Tiburtii Martyris coemeterium *Inter duas lauros* via Lavicana situm, ubi primum condita fuerunt SS. Christi Martyrum Marcellini et Petri corpora, quae nunc Cremonae in templo Societatis Iesu eorum dicato nomini religiosissime asservantur. Et hi quidem, ut nosti, e principibus urbis patronis sunt; nos vero Cremonae studiorum causa cum essemus, et Societatis gymnasium celebraremus, sub eorum tutela fuimus educati. Itaque a lectis litteris tuis omnem moram abrumpendam, et eo confestim pergendum duxi. Aestas erat et sol ferventissimus, tamen alacriter iter suscepi et gravi non sine incommodo confeci, a porta Esquilina prope ad tertium lapidem progressus. Multa inter eundum, quo viae molestiam levarem, mecum animo agitavi de sanctis Martyribus, qui tot ac tantos propter Iesu Christi amorem cruciatus pertulerunt, multa de praesentibus Ecclesiae temporibus, quae si unquam alias, nunc certe calamitosissima dici possunt; multa denique de Cremonensis Collegii excidio, quod erat sub horum Martyrum patrocinio constitutum. Ut veni viae longitudine valde defatigatus et totus sudore diffluens ostium clausum offendi et sic obstructum, ut mihi illud reseratum iri post repetitos ictus, in summa solitudine prorsus desperarim. Sed insperato affuit tandem sacerdos loci custos, qui aperto ostio me amantissime salutavit et proprio nomine compellavit. Obstupui enim vero inopinato occursu hominis,

cui me notum esse intellexi. Ne multa; didici ab eo triginta sex ante annos Firmi cum essem, ibique rhetoricam docerem, meum illa in urbe fuisse discipulum. Itaque ab eo humanissime exceptus, ut paulum quievi, coepi omnia attentius inspicere; et disiecta passim rudera ac dispersa cernens non potui de tot veterum ac sanctissimorum monumentorum ruina atque interitu non vehementer commoveri. Excitatum ibi fuerat rotunda forma super exstructa camera magnificum a Constantino Magno templum, et SS. Martyribus Marcellino et Petro dedicatum, cuius exigua tantum pars nunc superest, reliquae solo prorsus aequatae, ut earum vestigia vix appareant. Sepulta hoc in templo Helena Augusta Constantini mater fuit in arca porphyretica mirae magnitudinis, quae inde amota diu latitavit in angulo claustri Lateranensis Basilicae (nunc vero dum has epistolas recognosco, in Museum Vaticanum illata). A Nerio Corsino Cardinali aliquid opis impensum huic loco fuit, sed nihil actum dignum viro principe, multo minus tanta maiestate ac religione loci, qui in pristinam restitui formam splendoremque debuerat. Illud unum est et commode excogitatum et perfectum, quod mihi mirifice arrisit, propterea quia simile quiddam in coemeterio S. Hermetis via Salaria vetere faciendum cogitaram, et vero perfecissem, nisi piae cogitationi calamitosa Societatis Iesu tempora obstitissent. Acto prope aediculam in area Constantiniani templi aedificatam novo cuniculo, et ad veteres usque perducto facilis in coemeterium et minime praeruptus patefactus est descensus. Praeterea optimo consilio obstructae viae hinc et hinc, quae facile coemeterium ingressos pluribus obiectis semitis transversos agere poterant. His obstructis una relicta, quae sola patet et recta ducit ad duo cubicula, quae potiora sunt huius coemeterii monumenta, et praecipue visenda; alterum S. Tiburtii Martyris, in quo conditum eius corpus fuit, alte-

rum SS. Martyrum Marcellini et Petri, in quo similiter eorum tumulata fuerunt corpora. Atque hi quidem sanctissimi Martyres non via Lavicana, ubi sepulti, sed Cornelia valde dissita *passi sunt*, et ex silva quadam antea *nigra*, post *candida* appellata a sanctis matronis Lucilla et Firmina ipsorum admonitu in hanc viam translati sunt, et conditi in eo cubiculo, quod ex duobus, quae potiora, primum ingredientibus et aliquantum progressis occurrit. Hoc autem prae altero S. Tiburtii laxius est atque ornatius, et ara ad divinum sacrificium conficiendum excitata nobilitatur. Illud vero male atque adeo pessime ut quatuor columellae ad indicandum tumulum constitutae inde amotae fuerint, alioque asportatae. Veneratus sum locum SS. Martyrum sepulcro illustrem, precatusque sum Deum, ut mihi ac tibi contingat *habere partem cum eis*. Quaesivi de columellis, num exstarent amplius; comperi exstare, gavisus sum, statimque animo illa oborta pia cogitatio, ut, siquo modo assequi possem, columellas restituendas, et inscriptionem, quae locum *Depositionis* doceret, addendam curarem.

LOCVS
VBI . PRIMVM . SACRA . CORPORA
SS. CHRISTI . MARTYRVM
MARCELLINI . ET . PETRI
TVMVLATA . FVERVNT
HVNC . NE . POSTERITAS . IGNORARET
IOSEPHVS . MARIANVS . PARTHENIVS
SVB . EORVM . TVTELA
CREMONAE . EDVCATVS
INDICANDVM . CVRAVIT
ANNO . DOMINI . CIƆ . CI . CC . LXXIX.

Haec inscriptio marmori meo sumptu incisa posita est an. MDCCLXXIX. Habe inscriptionem, ut subito impetu

effusa fuit. Tandem omnibus exploratis et diligenter inspectis, ex subterraneis illis obscurissimis speeubus me recepi. Ut in lucem evasi, legi epigramma marmori incisum quod adhuc exstat, quo epigrammate S. Damasus Pontifex horum Martyrum sepulcrum ornavit. Cum vero nullam laurum consitam animadverterem in loco, cui duae lauri ab antiquissimis usque temporibus nomen fecerant, reliquisque coemeteriis, unum si excipias via Latina, discriminaverunt, custodem etiam atque etiam precatus sum ut geminas lauros sereret, easque pro templi foribus collocaret. Promisit, gratias egi quam maximas, et hilarior multo, quam veneram, discessi, et Romam alacrior remeavi. Video, ut ego commemoratione Cremonensis urbis ad visendum horum Martyrum sepulcro insigne coemeterium incitatus sum, sic te harum rerum commemoratione incredibiliter incensum desiderio urbis, ut una mecum possis haec sanctissima loca adire, perlustrare, ac venerari. Equidem in tam gravi nostro infortunio nihil mihi gratius esse posset atque iucundius, quam te apud me recipere, quos fraterna caritas obstrinxit, ut una Dei voluntas invicem separavit. Quod in me est ego te peramanter invito; si veneris libentissime excipiam, atque amantissime amplectar. Illud tibi persuadeas velim, me expansis brachiis adventum tuum exspectare. Tu quod tibi videbitur et rationibus tuis magis accommodatum iudicabis, facies. Me Deiparae Virgini etiam atque etiam commenda, quam utrique nostrum propitiam precor et futuram confido. Cura ut valeas.

Iosephus Marianus Parthenius — Antonio Morcellio sodali suo S. P. D.

II. Pervolutavi inchoatum de veteribus inscriptionibus egregium volumen tuum; quod mihi vehementer arri-

sit. Certum autem de eo iudicium interponere non audeo, propterea quia huius generis studia attigi quidem quantum satis visum est homini omnem antiquitatem et sacram praesertim prorsus ignorare nolenti, sed ad intima non perveni, ut vere de iis ac recte iudicare possim. Non dubito tamen quin hoc opus a te summa cura elaboratum et latina et graeca eruditione tua dignissimum, perfectum cum fuerit atque absolutum, siquidem in manus hominum venerit, summa cum omnium approbatione venturum sit. Quare hoc tantum habeo dicere te quidem, qui tam multa, tam recondita, tanto delectu excerpta, tanto ordine collocata de profanis inscriptionibus persecutus es, pretium utique operae facturum, si christianas minime a te negligendas putares. Hanc sacrae eruditionis partem multo profana praestantiorem esse, ne tu quidem inficiari potes, ac propterea digniorem, in qua singularis pietas ac religio tua versetur diu plurimumque elaboret. Sacra urbis coemeteria multas huiusmodi suppeditant inscriptiones, collectas illas quidem a piis et eruditis viris, sed non satis, quantum arbitror, pro catholicae religionis dignitate illustratas. In pio hoc, ad quod te hortor, studio Lupius noster exemplo tibi praeivit suo, viamque latam atque illustrem, quam summa cum laude ingrediaris, patefecit. Nosti quam multa ex una sepulcri sanctae Severae Martyris inscriptione, quam abdita, quam prorsus ignorata, quantoque historiae usui futura, ingenio suo plane admirando atque ad has res indagandas mire facto elicuerit. Habes domesticum exemplum sane praeclarum ac luculentum, quod imiteris, parem certe ingenii et doctrinae laudem consecuturus, si sacram hanc, quam tibi offero, spartam ornandam susceperis. Hoc vero tibi facile admodum, nec a proposito tuo alienum. Sacrae enim et profanae antiquitatis studia maxime inter se coniuncta sunt. Tu vero, cum utraque eruditione insigniter excellas, quam

possum vehementer oro, ut utramque copules, ne quid ad egregii operis a te suscepti absolutionem perfectionemque desit. Huic meo tam pio ac religioso studio, opinor, obsequeris. Vale, et Deiparae Virgini enixis precibus me commenda, qua quidem re nihil est quod magis optem, et a te vehementius exposcam.

Iosephus Marianus Parthenius — Antonio Morcellio sodali suo S. P. D.

III. Qui te proxima epistola ad veteres christianas inscriptiones colligendas et adnotationibus illustrandas sum cohortatus, quo gravius cohortationi meae pondus accedat, tibique stimulos acriores exemplo subiicam meo, hanc ad te dare epistolam placuit, qua tibi meum qualecumque sacrae antiquitatis studium declararem. Hanc tu sic accipies, non ut me in sacra antiquitate indaganda versatum putes, sed tantum monumentorum, quae antiquitate censentur et religione consecrantur, perstudiosum existimes. Impressa exstat oratio mea de huiuscemodi monumentis conservandis, in qua adnisus sum eorum causam patrociniumque suscipere, et quae reliqua sunt, a supremo interitu excidioque vindicare. Neque vero hoc verbis tantum et oratione assequi, sed re ipsa consequi, adhibitaque opera contendi. Cuius contentionis ut specimen habeas, nunc ad te perscribam quid egerim, quantum laborarim pro conservando nominatim restituendoque in pristinam formam S. Hermetis vetustissimo templo. Est templum hoc positum via salaria vetere non longe a clivo antiquo vocabulo appellato Cucumeris, non modo sacro cognomini coemeterio coniunctum, sed coemeterii ipsius pars multo potissima ac nobilissima. Templum autem alte sub terram depressum sic iacet, ut ad tertium cuniculorum ordinem (tribus enim ordinibus, quorum unus alio inferior est, coemeterium dis-

tinguitur) pertineat, habeatque, nullo descensu aequatum cum eis pavimentum. De summa antiquitate cum templi, tum coemeterii ambigi non potest. Mitto veteres picturas, quarum vestigia adhuc cernuntur, mitto templi formam ad vetustissimarum Basilicarum effigiem prorsus exactam, mitto alia antiquitatis certissima indicia, quae hic recensere non est necesse. Solae inscriptiones, quarum bene multae repertae sunt Consulum nominibus insignitae, de summa, quam dico, antiquitate omnem prorsus dubitationem adimunt. His accedit doctissimorum hoc in sacrae eruditionis genere virorum Bosii, Severani, Aringhii, Boldetti, aliorumque auctoritas, quorum nemo est, qui dubitet, quin primis Ecclesiae seculis ad sacram Synaxim habendam, conventusque celebrandos templum hoc fuerit a priscis Christianis aedificatum. Ego vero temporum iniuria sic labefactatum offendi, vix ut agnosci, ita terra refertum, ut nonnisi summo cum incommodo adiri posset. Recentes enim cunicularii egestam e continenti coemeterio humum tanta copia in illud congesserunt, ut prope totum opplerint, impeditumque reddiderint. His ego vehementer permotus tam insigne ac vetustum monumentum ab extremo interitu mihi omnino esse vindicandum existimavi. Itaque eius nomine, cui sacrarum Reliquiarum et coemeteriorum cura demandata est, Clementi XIII libellum supplicem porrigendum curavi. Libelli haec erat summa, ut vetustissimum templum, multorum insignium Martyrum sepulcro nobilitatum, et pene solum e plurimis, quae veterum Pontificum pietas supra martyrum tumulos excitarat, et vetustas confecerat, superstes repararetur ac restitueretur. Religiosissimus Pontifex libellum humanissime excepit, attente legit, vehementer probavit, iussitque operi confestim admoveri manum. Itaque statim tota humus eiecta; inter egerendum veteris scalae gradus adhuc exstantes reperti, qui ad septuaginta duo in solum defossi facilem ad pavimentum usque

descensum praebebant. Ita factum est, ut templi forma appareret, et pristina facies loco esset aliquatenus restituta. Hoc prospero successu factus alacrior, dum res calebat, minime cessandum putavi. Itaque postulatio ulterius producta, petitumque a Pontifice, ut quandoquidem pervium factum esset templum, in eo excitaretur ara, imagines sanctorum martyrum Hermetis, Theodorae, Basillae, Proti, et Hyacinthi, quorum sacra corpora constabat ibidem fuisse sepulta, in abside depingerentur, pavimentum marmorum fragmentis, quae coemeterium ipsum abunde suppeditabat, sterneretur; inscriptiones, si quae dignae erant, quarum ratio habenda esset, parietibus affigerentur, gradus denique veteris descensus hac ipsa, ut dixi, occasione detecti reficerentur. Hoc petitum est, et nihil amplius, demonstratumque impensam fore tenuem, quippe quae quingentorum argenteorum summam excedere vix posse existimaretur. Dubitari certe non poterat; quin optimus Pontifex aequissimae postulationi pro sua eximia religione ac pietate esset assensurus. Ecce autem ex adverso architectus nescio quis rem odoratus, se medium importune obtrusit, praeclara incepta intercepit, initia optatum exitum portendentia praecidit, rem denique omnem disturbavit. Hic ego non dicam, architectum hunc oblatam sibi optimi quaestus occasionem putasse, quam sibi e manibus elabi nollet. Hoc tantum affirmo, hoc genus hominum, nisi admodum liberales sint et ingenui, in istiusmodi occasiones avidissime imminere et quam celerrime arripere. Hic igitur, quem dico, Architectus templum sine cunctatione adiit, totum perlustravit, dimensus est, iconographiam confecit, et Ioanni Baptistae Rezzonico tunc S. Palatii Apostolici Praefecto exhibuit. Nec vero quidquam in capiendis mensuris sibi reliqui fecit, ut inde etiam rheuma, quod plures dies hominem lecto affixit, diligentiae praemium asportarit. Ne multa: persuasit templum quidem

restituendum, sed ita ut publico commodo instauraretur, et quotidianae adeuntium frequentiae pateret. Itaque eruendam circumquaque prope immensam humum, in qua depressum iacebat, duo adsita nemora penitus exstirpanda, domum templo inaedificatam diruendam, luminaria patefacienda, tectorium inducendum parietibus, parietes dealbandos, ornandum anaglyphis, a nitro scilicet quamprimum exedendis, aliaque huiusmodi insulse, absurde, imperite ab se excogitata suggessit. Cui enim sano in mentem venire poterat vetustissimo templo sub terram consepulto recentem formam inducendam? cryptam verius quam templum cincinnis ornandam? Quis nescit huiusmodi monumenta una sacra antiquitate veneranda has elegantias aspernari omnino atque respuere? Praeterquamquod in loco solitario et longe ab urbe posito qui commode adiri poterat? qua frequentia celebrari? sed his omissis, quod ad rem pertinet, in sumptu perficiendo operi necessario, sex argenteorum millia, quae certe ad duodecim et eo amplius evasissent, esse impendenda. Quid quaeris? institit, ursit, eo rem adduxit, ut nisi ego obstitissem, illa, quam dixi, argenteorum fuisset summa inaniter insumpta, et non ad reficiendum, sed ad evertendum nobilissimum sanctissimumque monumentum consumpta. Haec ut rescivi, adii continuo Praesulem ut eum dedocerem, demonstraremque, quae Architectus proposuerat, pro loci natura executioni mandari nequaquam posse. Hunc vero in Architecti sententia sic obfirmatum offendi, ut me his verbis dimiserit, *siquidem tuus accedat assensus, nulla in me mora erit, quin cras primo mane opus inchoetur.* Ego vero intrepide negavi, repugnavi acerrime, diserte professus sum me nunquam assensurum, ut tanta pecunia in subterraneam, salva religione, cryptam prodigeretur. Templum esse vetustum, vetustate ipsa, quae deleri omnino non deberet, maxime nobilitari. Recentia, si placeret, aedificari posse,

vetusta conservanda, quae recentem ad cultum atque elegantiam traducta omnem prope religionem ac dignitatem amittunt. Ita sentire doctos viros, atque idoneos harum rerum aestimatores. Plura addere temporis angustiae vetuerunt, et sermo ad commodiorem opportunitatem dilatus, sed paulo post consecuta Hispaniensis calamitas consilia omnia pervertit. Fracti animi, debilitata contentio, alio optimi Principis curae evocatae, mihique urgendi negotii facultas adempta. Habes studii hoc in genere mei specimen fortasse non contemnendum. Tu vero qui nosti sapientum more consilia non exitu metiri, nec voluntatem ex eventu pensitare, hos qualescumque conatus meos alterius inscitia nequaquam perfectos non dubito quin sis probaturus. Quid facias? Non omnia in nostra potestate sunt: cedendum tempori fuit; exspecto dum opportunius adveniat, quod si advenerit, illa prima erit cura ut architectus amoveatur. Legitur in antiquo lapide sic: *Huic monumento dolus malus abesto et Iurisconsultus.* Ego autem deleo *Iurisconsultus,* sufficio *Architectus;* immo vero utrumque amplexus sic lego; *Huic monumento dolus malus abesto et Iurisconsultus et Architectus.* Vale et more solito me Deiparae commendes rogo.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

IV. Quae semel ad maiorem Dei ac servorum Dei gloriam suscepi, tametsi aliqua gravi difficultate intercepta sint, ego tamen nunquam in perditis ac desperatis habere soleo. Quid egerim pro restituendo S. Hermetis vetustissimo templo superior te docuit epistola. Habe nunc, quae spes inopinato revixit disturbatum opus ac prope desperatum, si Deus ac Deipara annuent, optatum ad exitum perducendi. Haesit hoc monumentum sic pectori infixum ut non modo eius omnem mihi cogitationem non abiecerim, ut

potius in omnem, si qua opportuna se offerret, occasionem imminendum duxerim. Et vero sese obtulit, et aliqua affulsit spes fore, ut intermissum iamdiu negotium revocaretur. Commodissime novus sacrarum reliquiarum custos veteri extincto suffectus, qui nonnihil hac de re audierat, rem omnem uti peracta erat a me doceri voluit. Ego mihi non defui, oblatam elabi occasionem non sivi. Exordium, progressum, exitum, totius denique rei seriem, ut gesta erat, prolixa oratione exposui. Libellorum supplicum exempla tradidi, quae per otium legeret et diligentius consideraret. Quid quaeris? hominem sic permovi, ut templi restituendi cupiditate vehementer incenderim. Itaque promisit se daturum operam, ut negotium instauraretur, et qua fieri commodiore ratione posset, suum ad exitum perduceretur. Quid consecuturum sit nescio, sed aliquid efficiendum confido. Nunc ut ad illum architectum, de quo superiore epistola, redeam, cui placari vix possum, quamquam ei ex animo ignoscam, quis unquam credidisset eo usque progredi potuisse, ut persuaderet templo sola vetustate et religione censendo recentis templi concinnitatem inducendam, obnitente antiquitate, quae recentibus ornari insignibus negat, et reclamante religione, quae his ipsis vetustissimis monumentis dignitatem tuetur suam? Quamquam nihil est quod mihi quidem hoc in genere non credibile videatur, posteaquam vidimus, mitto innumerabilia exempla, quae hoc ipso de genere afferri possunt, temerariam admoveri manum ethnico aedificio longe clarissimo, et sanctissimis postea religionibus consecrato, quod ad nostra usque tempora integrum inviolatumque permanserat. Deletae in eo antiquissimae imagines Iesu Christi, et Deiparae Virginis. Tota architecturae forma media inter duas exstantes coronas immutata, aliaque huiusmodi superinducta, quae cum stomachum intuentium movent, tum architecti imperitiam et summam

confidentiam declarant. Quis nostrum aliquid simile in veterum scriptorum monumentis attentare auderet? Tamen si quis tam audax et impudens existeret, inscitia tantum sua ac fatuitate peccaret. Facile enim praecidi male assuta possent, remanentibus exemplaribus doctissimorum virorum opera diligentiaque pristinae integritati restitutis. In architectura vero nullus correctioni locus. Semel diruta excitari non possunt, semel deleta restitui nequeunt sic, ut antiquitatis pretium retineant et pristinae dignitatis ornamentum non amittant. Intelligis porro quod indicare aedificium velim; Pantheon nimirum, quod ita religio consecravit, ut veteri probatissimae structurae pepercerit. Sed ut revertar eo, si prospere res procedet, illa, ut scripsi, prima immo vero maxima cura erit, ut non modo noster hic, cuius si valuisset sententia, monumentum, quod nunc aliquatenus tenemus, nullum haberemus, sed omnis omnino architectus amoveatur. Nullus in veteri reparando templo quod praecipua sui parte adhuc exstet, architecti usus requiritur, nulla architecturae opera desideratur. Ipse me architectum satis idoneum et architecturae satis peritum profiteri non dubito, non quia huic arti unquam studuerim, sed quia, qui recto sensu prorsus non caret, de huiusmodi iudicare artificio potest. Interea vero, quandoquidem si res non calet, certe non friget, ne refrigescat omnino et magis ac magis incalescat, rogo te ut ad me inscriptionem quantocyus mittas, quae doceat quid Clemens XIII egerit, et quanto studio templum restituendum censuerit. Hanc ego exhibebo Cardinali Ioanni Baptistae Rezzonico, et valebit plurimum ad eius conciliandum animum. Est enim patrui sui ornandae memoriae studiosissimus, quam ei pergratum erit apposita inscriptione perennari. Meae partes erunt adniti, ut quod opus patruus inchoavit, ipse absolvat atque perficiat. Vale, et me Deiparae commenda, hoc te etiam atque etiam rogo.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

V. Vix dum inscriptionis exemplum a te mihi quam celerrime missum accepi, avide legi et vehementer probavi. Etenim huiusmodi est, ut digna Augusti aetate haberi possit. Quare te maximopere hortor, ut quandoquidem multas huiusmodi inscriptiones elucubrasti, cum ad conficiendam iusti voluminis molem pervenerint, eas edendas cures, ut appareat te non solum doctorem esse rerum, sed etiam effectorem. Multi enim recte praecipere sciunt, sed aliquid ex praeceptis, quod probetur, elaborare nesciunt. Tu utrumque complexus difficile iudicari potest utra laude praestantior sis. Haec porro laus, quo augescat quotidie magis, patieris, opinor, ut quotiescumque de exaranda inscriptione aliqua rogabor, tibi potissimum id negotii dem, non deonerandi laboris causa, quod esset illiberale, sed eius utendi opera, quem maxime idoneum hoc in elucubrationis genere existimem. Res haec summam utrique commendationem afferet; tibi, quod tam egregie in hoc scriptionis genere verseris, mihi, quod in excellenti scriptore deligendo iudicium adhibuerim. Vale, et me Deiparae maiorem in modum commenda (1).

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VI. Quandoquidem institui de meo in conservandis sacris veteribus monumentis studio ad te scribere, quamvis ineptus tibi fortasse videri possim, pergam tamen magis ac magis ineptire; quam veniam pro nostra amicitia ac familiaritate mihi, opinor, concedes. Hoc igitur die Ss. Martyribus Rufinae et Secundae sacro hanc ad te epistolam scribo, quae docet, quid earum causa egerim, quantum-

(1) Immatura Cardinalis Ioannis Baptistae Rezzonici mors spem omnem ademit, effecitque ut res in desperatis haberetur.

que pro conservandis quibusdam monumentis ad illas pertinentibus laborarim. Irritus quidem conatus fuit, sed non minus ideirco laudandus. Non ignoras harum Virginum et Martyrum sacra corpora a loco, ubi primum via Cornelia sepulta fuerant, in porticum Baptisterii Constantiniani fuisse translata. Absidem arae imminentem Anastasius IV anno MCLIV opere musivo eleganter ornavit. Locum ego frequens adire soleo, nec unquam ad Lateranensem Basilicam venio, quin ad earum sepulcrum venerandi causa me conferam. Eo cum more solito venissem, animadverti musivum, quod dixi, opus pictura exprimi. Quaesivi a pictore, cuius ad usum id faceret; respondit, musivum vetus esse diruendum, novum e gypso ornatum absidi inducendum; idcirco ne veteris musivi memoria prorsus interiret, id agi, ut eius exemplum coloribus expressum conservaretur. Non potui, quin tantam fatuitatem riderem, et stomacharer etiam, musivum ipsum haberi cum posset, eius exemplum haberi malle. Aut enim erat huiusmodi, quod conservari praestaret, aut secus: si primum, omnino erat retinendum, si alterum, non magnopere de exemplo laborandum. Itaque perituri musivi per idoneum hominem, qui his monumentis publica auctoritate praeerat, causam suscepi, ut si quo modo possem, ab interitu vindicarem. Multa scripto mandavi, quae lecta commovere quemlibet potuissent, et vero debuissent, si modo iis, ad quos ea deliberatio pertinebat, non dicam doctrina affuisset, sed communis tantummodo sensus non defuisset. Demonstravi, allatis auctoritatibus, musivi operis vetustatem, elegantiam, pretium; docui Anastasium non ita de ecclesia fuisse meritum, ut eius monumentum loco sacro et maxime illustri positum deleri deberet; eius effigiem diademate quadrato musivo opere expressam in cryptis Vaticanis exstare, et veteri diruto templo dignam esse visam, quae conservaretur. Cum porticum tum baptisterium Constantinianum non esse nudandum vetustis-

simis insignibus, quae eius antiquitatem evincerent, faverentque sententiae, quae Romae sacro fonte Constantinum ablutum contra Eusebii Caesariensis auctoritatem contendit. Addidi postremo severissima interdicta Leonis X et Pii II quibus aliquid huiusmodi in vetustis monumentis attentare gravibus propositis poenis vetatur. Non minori contentione suscepi causam Imaginis Salvatoris, quam absidi subiectam idem Anastasius IV in pariete depingendam curavit eo statu atque habitu, ut medius inter Martyres virgunculas Rufinam et Secundam extensis utrinque manibus utriusque caput tegeret, capitique coronam imponeret. Docui sacram hanc imaginem sanctum Philippum Nerium peculiari cultu fuisse prosequutum, eoque discipulos allegare suos consuesse, quo divinum Reparatorem enixe rogarent, ut ab eo similiter atque illis sanctis Virginibus, sibi manus imponerentur. Haec, et multo plura, quae hic referre non vacat, scripto comprehensa iis oblata sunt, ad quos ea res pertinebat. Quid quaeris? nihil tot contentionibus actum, nihil profectum, nihil impetratum. Non eos vetustas operis, non elegantia, non pretium, non Anastasii nomen, non dignitas, non rationes, non argumenta permoverunt, ut ab incepto desisterent sententiamque mutarent. Quid his hominibus facias ingenio indocili, qui cui semel opinioni adhaeserunt, nullis ab ea rationibus, nullis argumentis, auctoritatibus nullis se dimoveri patiuntur. Itaque musivum dirutum, deleta prorsus imago Salvatoris fuit, musivo plasticum opus substitutum, imagini vetustae alia recens valde dissimilis suffecta, nulla antiquitatis, nulla religionis habita ratio, spoliatum denique ac nudatum veteribus insignibus sanctissimum monumentum. Hic nimirum nostrae contentionis exitus fuit, idem, qui reliquarum rerum solet, quarum iudicium eorum est qui nec rebus pretium ignorantia ipsi sua facere norunt, nec pervicacia quadam de pretio ab idoneis aestimatoribus doceri volunt. Multo secus in altera abside



e regione constituta, et ab eodem Pontifice musivo item opere eleganter exornata sibi agendum existimavit Stephanus Borgia. Aram sanctis Martyribus Cypriano et Iustinae, in qua sacra eorum condita sunt corpora, dicatam sectis marmoribus sic nobilitavit, ut novum induxerit ornatum et vetustum non deleverit. Absidi pepercit, musivum retinuit, antiquitatem reveritus est, et debitum meritissimo Pontifici honorem habuit. Quo facto praesul doctissimus et antiquitatis scientissimus singularem suam hoc in genere intelligentiam declaravit, et eos, qui in adversa abside multo aliter se gesserant, iudicio suo damnatos insigniter notavit. Nunc ex hac quam descripsi clade reliquum tantummodo est vetus exemplum imaginis Salvatoris, et sanctarum Christi Martyrum Rufinae et Secundae prorsus ad antiquam formam exactum. Hoc mihi habere contigit, cui certe omnimodis providebo, ne intereat. In adversa tabulae parte inscriptionem addidi, quae exempli pretium et vetustatem doceat, et eo misi ubi certe non minori diligentia quam religione asservabitur. Haec, uti a me narrata, sic gesta sunt. Hic fuit mearum exitus curarum, hic eventus contentionum, huc denique studium, labor, opera, diligentia, assiduitas reciderunt. Malum me fortasse causarum patronum dices; ut lubet, non repugno. Sed male atque adeo pessime se res habet, cum bona causa ad iudices minime idoneos necessario est deferenda. Vale, et si me amas, amantissimae Matri Deiparae me commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VII. Qui me malum causarum fortasse patronum dixeris, ne me dicas inani semper labore consumi, quamquam labor Dei causa susceptus, quemcumque sortiatur exitum, inanis non est, nec fructu caret suo, sed tamen id ne dicas, accipe quid egerim pro altero reficiendo sa-

ero monumento, successu non felici quidem, sed minus infelici. Est in aede Deiparae, quae S. Maria Nova nuncupatur, absis antiquissimo musivo opere depicta. Opus hoc tanti fit a Ciampinio viro eruditissimo, ut illud in libro, quem de veteribus monumentis scripsit et inscripsit, *pulcritudine sua mirabile* appellarit. Hanc, ut opinor, illi miram pulcritudinem antiquitas confert, quae istiusmodi operibus et pretium facit, et existimationem intelligentium conciliat. Iam opus hoc, de quo dico, ad annum septingentesimum quintum referendum esse dubitari non potest, quo anno Ioannes VII perficiendum, in eoque Deiparam Virginem exprimendam curavit. De hoc ipso opere in vita huius Pontificis meminit Anastasius bibliothecarius, affirmatque illum *S. Dei Genitricis Basilicam, quae antiqua vocatur, picturis decorasse.* Picturae vero nomine musivum opus significari multis certissimisque argumentis Ciampinius demonstrat. Hanc Basilicam postea S. Leo IV instauravit, et tunc Nova vocari coepta est, quae appellatio ad nostra usque tempora perseverat. Dubitari igitur non potest de vetustate et pretio huius musivi operis de quo scribo. Ego vero hoc magis incuria hominum, quam iniuria temporum, ita labefactatum deprehendi, ut decidentibus sensim laterculis plurimae non dicam rimae, sed lacunae in eo apparerent. Quod vero supremum denunciabat exitium, animadverti multis partibus musivum intumescere, crustis exstantibus, a muroque, cui agglutinatae erant, divulsis. Imminenti ruinae, quantum in me fuit, occurrendum censui eo usus interprete, quem superiore epistola indicavi. Itaque porrecto scripto et musivi periclitantis exposita dignitate demonstravi medicam omnino manum ei male affecto et graviter laboranti esse admovendam, quod nisi sine cunctatione fieret brevi interiturum. Porrectum scriptum si minus libenter exceptum, saltem prorsus repudiatum non fuit, quod in summi beneficii loco ponendum, et lucro non

mediocri apponendum duxi. Usu enim saepe venire solet, ut cum benefacere studeas, unde gratia quaeritur, inde offensio consequatur. Admota igitur manus fuit, et musivo iam perituro subventum, sed tanta circumscriptione impensae, ut unius minimi sumptus ratio habita fuerit. Lacunae nequaquam, quod faciendum erat, novis insertis laterculis oppletae, sed gypso refertae, color superinductus, qui intuentium oculos falleret; aegrotus denique non reipsa sanatus, verumtamen aliquo modo provisum, ne ulterius imminens ruina progrederetur. Ego sane multo plus postularam, sed hoc contentus esse debui. Nam quid facias? Ab avaro solutore quidquid exhibetur accipiendum, ne inanis ab eo dimittare. Quare, ut in malis, res pessime non processit, ut ea bene etiam transacta existimari possit. Ruina aliquo tolerabili modo reparata, et prohibitum supremi interitus exitium. Ea enim rerum omnium, quae per se caduca sunt, conditio est, ut cum ruere coeperint, nisi opportune subventum sit, ruina prohiberi omnino non possit. Hoc plurimis contigit, de quibus scribimus, monumentis, quorum nunc reliquum nihil est, nisi memoria literis consignata. In hoc ipso templo aliud olim musivum exstabat, ornabatque praecipui arcus fastigium. Hoc Ciampinius didicit ex schedis Ioannis Lucii solertissimi harum rerum indagatoris, et experientissimi aestimatoris. Nunc hoc de musivo ne minimum quidem vestigium remanet. Quare est cur mihi gratuleris, qui uno e duobus, quae insignem Deiparae Virginis Basilicam ornabant, prorsus deleto, alteri superstiti fuerim opitulatus, et si minus immortalitatem contulerim, vitam saltem ad plures annos, aegre quidem tolerandam propagarim. Quod vero dolendum est, haec clades crescit in dies singulos quotidie magis, quae tametsi me vehementer afficit, studium tamen meum non sic debilitat, ut vel desperatissimas horum monumentorum causas mihi non suscipiendas existimem. Ego certe

par studium, parem operam, parem contentionem semper afferam, exitum non eventui, sed Deo, qui eventus moderatur, committam. Multa saepe adversantur, quae vinci aegre admodum possunt; nihilo tamen minus animus despondendus non est, sed *contra*, ut inquit illi, *audentius* eundum; ut aliud non assequaris, illud certe consequeris optimam esse laudandam voluntatem, quam, opinor, laudem mihi tribuendam existimabis. Vale, et Divinae Matri me commenda, quod sic a te peto, non ut mori serviam, sed ut a te impetrem.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VIII. Quod postrema superioris epistolae pagella scripsi, ne a me ostentatione aliqua scriptum arbitreris, aliud irriti conatus mei documentum habe, in quo si unam excipias voluntatem, nihil est, quod laudes. Exstat aedicula prope Tiberim, et, ut ego censeo, sanctis Christi Martyribus Luciae et Geminiano quorum dies festus XVI kal. octobris notatur, iam inde ab eius constructione consecrata. Cardinalis Baronius in suis ad Martyrologium Romanum adnotationibus, *Est,* inquit, *apud Tiberim ad quatuor portas Sanctorum Christi Martyrum Luciae et Geminiani vetus memoria ubi et eorum sacra corpora condita esse dicuntur.* Aediculam quatuor habuisse portas ex ipsarum vestigiis etiam nunc cernitur; esse vero antiquitate censendam incisum marmor informibus characteribus quod adhuc legitur, et scripta quaedam, quae in eius tabulario inveniuntur, docent. Nec vero, quae in reliquis vetustissimis Basilicis cernitur, et vocatur Confessio, deerat, hoc est sepulturae locus alte sub terram depressus, ubi sacra fortasse corpora delitescunt. Locum religiose fuisse cultum, lampas, quae perpetuo ardebat, satis declarat. Impensae in oleum factae adhuc exstant accurate diligenterque perscriptae. Huc

ego cum venissem, ingentem terrae acervum non longe ab ara maxima defossum offendi. Hanc ego idoneam opportunitatem ratus et veterem Confessionem restituendi, et sacra ipsa Martyrum corpora, siquidem ibi, ut traditione ferebatur, condita fuissent, inveniendi opportunitatem ipsam arripiendam duxi, quam si mihi elabi de manibus passus essem, revocare unnquam fortasse potuissem. Itaque sumpto sine cunctatione calamo sanctorum Martyrum nomine libellum supplicem scripsi, et ad virum principem, ad quem ea res spectabat, perferendum curavi. Inducebantur SS. ipsi Martyres pro se loquentes ac repetentes ius Confessionis, quo de iure deturbati graviter expostulabant de iniuria ipsis illata, rogabantque ut antiquam in possessionem restituerentur. Nihil fieri, ut vides, aptius ad commovendum animum potuit, nihil accommodatius ad persuadendum, ut si causa ad forum delata fuisset, obtineri omnino debuisset. Scripto hoc libello supplici et SS. Martyrum nomine oblato, quid censes effectum? quid impetratum? Nihil aliud, atque hoc quidem non praeter expectationem meam, sed praeter opinionem fortasse tuam, nihil inquam aliud, quam odiosum illud *Lectum* reportatum est. Usque adeo sacra huiusmodi monumenta vilescunt, ut propemodum nequaquam digna existimentur, quae locum habeant in ea urbe, in qua eminere maxime supra recentia quae quotidie excitantur, aedificia deberent. Sed alii aliter opinantur ac sentiunt et perversae opiniones latius patent, quam rectae. Adscribendum idne fuerit viro illi principi opibus affluentissimo, an eius domesticae rei curatoribus, qui fere dominorum benevolentiam inire se arbitrantur, cum sumptibus parcunt, et fortasse libello supplici, ne ad eius manus perveniret, pedes inciderunt, ignoro, neque inquirendum existimo. Quocumque se res habuerit modo, hoc certe gravior repulsa fuit, quo iustior et aequior postulatio. Sancti enim Martyres ius suum repetebant, quod obtinere omnino debue-

rant. Ego sane repulsam hanc moleste tuli, sed molestiam magna ex parte illa cogitatio mitigavit, quod rem consentaneam religioni, Sanctis Martyribus gratam fecerim, a quibus mihi gratiam relatum iri confido. Vale, et me precibus quod iam saepe rogavi, apud Deiparam adiuves tuis.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

IX. Ita mihi Deum ac Deiparam cum in vita, tum praesertim in morte propitiam apprecor, ut nullo loco mihi deero, quominus quacumque ope potero, voce, scripto, diligentia, assiduitate, consilio pias huiusmodi causas suscipiam, susceptas tuear, et felicem etiam ad exitum perducendas curem. Nulla non tentanda via est, ut eo demum, quo contendis, pervenias. Itaque ad aliud me verti consilium, quod certius arbitror, et quandoquidem facultas suppetat, omnibus censeo anteponendum. Alium ne roges, quod per te ipse potes efficere. Quamquam ne hoc quidem omni difficultate caret, adeo diversa hominum studia sunt, et non raro perversa, ut quod facere vel ipsi nequeunt, vel minime faciendum putant, id fieri ab aliis nequaquam patiantur, in eoque, si fiat, sibi iniuriam irrogari arbitrentur. Sed tamen ex omnibus difficultatibus, quae praeclara facinora intercipere solent, illa sumptus est longe maxima, quam si superes, nihil non obtineas. Communi sermone tritum et ipsa re confirmatum illud est, ***Pecuniae obediunt omnia;*** sed hoc ipsum cum exceptione aliqua, opinor, intelligendum. Piis enim conatibus, eae persaepe obiiciuntur difficultates, quae illos intercipiunt, et pecuniae detrectant imperium. Hoc tamen mihi tentandum duxi, ne quid inexpertum ad Dei ac Deiparae Virginis gloriam relinquerem. Tentavi igitur, et optato quidem eventu. Exstabat in Kirkeriano nostro museo vetustissima imago Deiparae Virginis erutae ex coemeterio S. Hermetis via Salaria vetere, et in pariete

depicta pectore tenus; reliqua pars aut decisa non fuerat, aut in parietinis neglecta perierat. Vetustatem imaginis declarant et totius oris habitus, et capitis velamen, et lineamentorum ductus, et colores non deleti quidem, sed aliquantum evanescentes. Colorum vero ego ipse temperamentum diligenter notavi, et vetustissimis extra omnem controversiam picturis, quae in eodem museo cernuntur, simile deprehendi. Quod vero effigies Deiparam exhibeat, ipsius, quem dixi, oris habitus ad modestiam et verecundiam compositi satis demonstrat, sic ut quivis de populo rogatus cuius imago sit, sine cunctatione et haesitatione ulla respondeat: ***Deiparae Virginis Mariae.*** His aliisque certissimis indiciis gravis accedebat auctoritas P. Philippi Bonannii de ipso museo optime meriti, et harum rerum studiosissimi et scientissimi aestimatoris. Eius iudicium disertis verbis perscriptum, et ipsi praefixum imagini legebatur: ***Vetus imago Deiparae Virginis ex Coemeterio S. Hermetis.*** Illud autem pretium imagini faciebat omnino singulare, quod raro admodum huiusmodi Deiparae Virginis, ut et divini Reparatoris, pictae effigies in coemeteriis reperiuntur. Sunt qui hoc referunt ad arcani disciplinam; repertas autem interdum affirmat Bosius. Hanc ego sacram ut imaginem vidi, me statim incredibiliter cepit, et digna visa fuit, quae nequaquam clausa in scrinio delitesceret, sed publico cultu veneranda proponeretur. Quam pia tunc fuit cogitatio, tam mihi pecunia defuit, qua illam executioni mandarem. Eam autem tam alte impressam animo retinui, ut, quae longe intercessit annorum series, delere ac prorsus obliterare non potuerit. Itaquè ut Romam post multos annos redii obiecta iterum oculis imago pristinam cogitationem acrius vehementiusque commovit. Hac in cogitatione totus dum essem, opportune factum est, et quidem praeter omnem exspectationem, ut centum mihi oblati fuerint argentei, qui arbitratu meo pios in usus impenderen-

tur. Quid quaeris? exsilui gaudio, nec deliberandum fuit, quem ad usum eos potissimum conferrem. Itaque, nulla interposita mora, primarii sodalitii praefectum adii, consilium aperui, cogitatum patefeci, postulavi ut sacra imago in ara ipsius sodalitii poneretur; id si fieret, et vero ut fieret, centum, quos dixi, argenteos in sumptum et ornamentum arae impendendos me numeraturum recepi, additurum praeterea tria probatissimi marmoris Siculi fragmenta praegrandia meo similiter arbitrio permissa. Plurimae exortae et obiectae sunt difficultates, sed quas pecunia vicit ac facile superavit. In eo enim constantissime perstiti, ut negarem me pecuniam daturum, nisi sacra imago eo, quo postulaveram loco poneretur, et publicae venerationi exponeretur. Ne multa, assensum est, perfecta nobilis ara, Deiparae Virginis effigies collocata, et pacta pecunia statim ac fideliter persoluta. Hic vero est cur non mihi sed oblatae pecuniae felicem exitum gratuleris, quae si mihi ad nutum praesto esset, multa sane huiusmodi monumenta vel ab oblivione, vel ab interitu vindicarem. Vale, et me Deiparae commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

X. Habe nunc aliud pium ac religiosum cogitatum meum, cui si Deipara faveat et opportunitas adsit, similem confido exitum habiturum. Est in porticu S. Caeciliae pictura pervetus, et sine controversia octavo seculo adiudicanda et bifariam divisa. In altera eius parte exprimitur effigies S. Caeciliae per visum S. Paschali I de eius inveniendo corpore vehementer sollicito (falsa enim invaluerat opinio fuisse a Longobardis furto sublatum), certum, ubi latitabat, indicantis locum. In altera vero Sanctus Pontifex inventum componens in loculo corpusculum exhibetur. Huius picturae meminit Antonius Bosius vir sacrae antiquitatis

peritissimus in actis S. Caeciliae a se editis, eamque tanti fecit, ut describendam et laminae cupreae incidendam curarit, ne si diuturnitate temporis, quod evenire necesse erat, deleretur, eius memoria prorsus intercideret. Colores enim prope evanuerunt, sensimque disparent, externi nimirum aeris iniuriae expositi, cuius vim ferre diutius, nisi provisum sit, certe non poterunt. Quamquam sic eorumdem expressa vestigia remanent, ut pictura conservata dici possit, et prope habendum prodigio sit, quod ad nostra usque tempora perdurarit. Hanc ego picturam, ut primum vidi, me incredibiliter cepit; dolui tantum ab Ecclesiae curatoribus monumentum esse neglectum, permissumque aeri perdendum atque obliterandum. Quoties hanc Sacram Basilicam adeo, adeo autem saepe, toties succurrendi perituro pia cogitatio subit. Succurretur autem, si e porticu, deciso pariete, in templum transferatur. Hoc ego in animo habeo et si Deus et sanctissima Christi Martyr annuant, mea impensa perficiam. Habes consilium meum, habes certam voluntatem, habes pium in sacra antiquitate conservanda studium, quod nec labori, nec denique sumptui parcat. Reliquum est, ut facultas suppetat, quae cum primum dabitur, nulla in me mora erit, quin hoc ipsum, quod huic epistolae mandavi, executioni mandetur. Vale, et me Deiparae non consuetudini serviens, sed pio huic meo studio obsecundans maiorem in modum commenda (1).

(1) Perfecta tandem ann. MDCCLXXXV meo sumptu res est, dissectum e pariete monumentum, illatum in templum et prope sepulcrum sanctae Virginis et Martyris collocatum, cui subieci hanc inscriptionem. *Monumentum vetustissimum inventionis et depositionis Sanctae Christi Sponsae et inclytae Martyris Caeciliae ne aeris iniuria prorsus interiret huc e porticu Iosephus Marianus Parthenius pro suo erga Sanctam Virginem et Martyrem studio transferendum curavit.* Ann. Domini CIↃ. IↃ. CC. LXXXV.

XI. Quandoquidem coepi, exhauriam et effundam omnia, nec quidquam hoc de genere reticebo. Multos ante annos, cum adhuc diversarer in Collegio Romano, ab hospite peramanter invitatus, et liberaliter admodum exceptus rusticandi causa Arianum me contuli, quod est oppidum secus viam Flaminiam vigesimo quinto plus minus ab urbe lapide e regione montis Soractis. Ut veni nihil habui prius, quam ut sacra monumenta, quae ibi exstare noram, praesens cognoscerem et diligenter inspicerem. Exstat in primis vetustissimum sanctae Theodorae matronae Romanae et loci dominae coemeterium, eius cura in praedio suo excavatum. In hoc multi sancti Martyres tumulati, et ipsa demum sepulta sanctissima matrona fuit. Inter ceteros digni sunt, qui commemorentur, Abundius et Abundantius, Marcianus et Ioannes. Supra coemeterium recenti opere exstructa est satis elegans aedicula, rotunda forma. In ea cernitur s. Theodorae picta imago eleganter admodum expressa eo habitu, ut sacra Martyrum corpora in suum inferri iubeat coemeterium. Haec mihi vehementer probata sunt. Illa vero minus probata; in fronte aediculae nullam additam fuisse inscriptionem, quae praetereuntes loci sanctitatem doceret. Hoc primum; deinde prope nullam ab oppidanis sanctae matronae rationem habitam, patronos oppidi externos adscitos, domesticos et ipsam loci dominam omnino praeteritam; tum demum nullum de ea ritu paullo solemniore festum agi. Haec, ut dixi, minus probata sunt, immo vero valde improbata. Itaque ne vacua bonae frugis rusticatio esset, haec ipsa emendare, quae incuria neglecta fuerant, et a rudibus atque incultis hominibus minime, ut par erat, animadversa conatus sum, et vero felici eventu. Obtinui, ut in fronte aediculae inscriptio grandibus conspicua notis poneretur; *Coemeterium*

Sanctae Theodorae Matronae Romanae ; ut ipsa inter praecipuos oppidi patronos haberetur, de eaque solemnior dies festus ageretur. *Officii lectiones*, quas vocant, proprias, ego ipse scripsi, et meo sumptu imprimendas curavi. Haec non uno tempore, sed spatio interiecto. Alia meditor, quae si vita suppeditabit, spero fore, ut aeque feliciter ad exitum perducam, et ea maxime, quae ad sanctorum Martyrum Abundii et Abundantii, qui insigniter coemeterium Arianense nobilitarunt, et quorum corpora apud nos sunt, cultum amplificandum spectant. Hic constitit rusticationis huius meae fructus, quem ego omnibus oblectamentis, qui a rusticantibus capi solent, anteferendum puto. Vale, et me Deiparae commendare memineris. Iterum vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Alberto De Albertis sodali suo S. P. D.

XII. Non video quare Romam, ut deliberasti, reversurus, cum hiemem, quae male affectae valetudini tuae fortasse exitialis erit, vitare possis, autumnalem opportunitatem negligas et in pessimum anni tempus te coniicias. Vide qnid agas, et cui te periculo committas. De tua valetudine aeque sollicitus sum ac de mea. Satis mature te amplectar, si recte valentem amplectar. Vale, et me Deiparae commenda; de precibus meis, deque meo sincero erga te et constanti amore ne dubites.

Supplex libellus Urbis Gubernatori exhibitus.

XIII. Rogatus ab N. N. cuius exscriptoris opera fideli et assidua novem fere annos usus sum testimonium de honestate vitae et morum, hoc non tam ei, quam veritati abnuere nequaquam potui. Audio nunc illum de qua-

dam levi nescio cui, sex ante menses, inflicta plaga postulari, cuius facti cognitio cum ad me non pertineat, illud tantum vere affirmare possum, mihi factum hoc, ut ad me perlatum fuit, vix credibile visum esse. Abhorrebat enim ab ea, quam recte instituerat, et hactenus tenebat, vitae ratione. Quare cum id, quod fecit, se prius ferro bis appetitum defendendi sui causa fecisse iuramento confirmet, neque adsint testes, qui contradicant, videtur iurato fides, quam etiam ei plurima, quae exhibet testimonia conciliant, habenda; et si quid fortasse deliquit, non solum probis ante actae vitae moribus, sed etiam aequitati, quae in omni iudicio locum habere debet, condonandum.

Iosephus Marianus Parthenius — Ludovico Preto
S. P. D.

XIV. Epistolam a me ad Robertum nostrum conscriptam ad te mitto, ut ei reddendam cures, et quam a se commendationem non habet, hanc tu illi apud communem amicum concilies. Non dubito quin ista commoratio tibi iucunda sit, et tuae futura valetudini etiam salutaris. Iucunda propter summam virorum in omni doctrinae genere excellentium copiam, quibuscum versari Bononiae licet; salutaris propter nativum caelum, quo nihil affectis corporibus solet esse praesentius. Huic epistolae non est cur molestiam respondendi suscipias; respondebis coram cum Romam veneris. Pervellem latina volumina mea aliquam in publica Bononiensi bibliotheca opera tua angulum obtinerent, siquidem ea digna existimes, quae tanta illustris loci amplitudine excipiantur. Hoc ego tuae committo curae, et confido fore ut, te interprete et viam muniente, iis aditus pateat, et ego summo hoc honore afficiar. Quidquid a te isthic meo nomine Laelio typographo fuerit persolutum, hic ego tibi numerabo. Roberto signi-

ficabis si quid respondere volet, ad te mittat; si *Romam* inscribet, facile epistola interibit. Exspecto cupidissime adventum tuum quem tibi persuadeas mihi gratiorem futurum, si quem ante discessum ostendisti, et comitem reditus, et itineris solatium tecum detuleris. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Aloisio del Verme sodali suo S. P. D.

XV. Tam mihi iucundae fuerunt litterae tuae, quas ad me Mediolano iampridem scripsisti, ut eas saepe legerim et summa cum voluptate legerim. Illa in primis commemoratio fraternae charitatis, quae nos devinxit atque, ut recte scribis, arctius nunc quam antea adstringit, me incredibiliter cepit. Quae vero addis admodum perhonorifica de fratre meo, qui una tecum vixit et quocum tibi summa amicitiae coniunctio fuit, quam grata mihi fuerint, ex eo, quo illum cum viveret, amore prosecutus sum, poteris aestimare. Quid multa? Tota epistola tua plena est amoris, studii, benevolentiae, officiorum, quae me commovere vehementer debuerunt. Quid ergo est, inquis, cur epistolae, quae tibi tam grata accidit atque iucunda, tam sero responderis? Hic vero non habeo quid reponam, quo me tibi purgem, et negligentiam cogor accusare meam. Non dubito tamen, quae tua mitissimi ingenii indoles est, quin me venia dignaturus sis, et hanc epistolam sic excepturus, ac si statim, ut par erat et tua dignitas postulabat, fuisset perscripta. Tu vero non est cur mihi in scribendo negligenti respondendi molestiam sumas. Hoc idcirco addo, non quod litterae tuae, si quas scribere voles mihi, non gratissimae futurae sint, sed quod timeo ne iterum in idem negligentiae crimen relabar, quo semel absolutus iustae condemnationis poenam deprecari non possem. De te, sine utriusque incommodo, facile certior fieri possum ab eo,

qui nobilissimam familiam tuam observat et colit, et persaepe ad tuos Roma litteras dat. Vale, et me Deiparae Virgini enixe commenda et *temet*, quantum per aetatem licet, *rebus servato secundis.*

Iosephus Marianus Parthenius — *Ioanni Baptistae Roberto sodali suo S. P. D.*

XVI. Epistolam, quam aeque eleganter, ac pie scripsisti super obitu Henrici Beltramini Feltrensis Episcopi, viri sanctissimi et sororis tuae filii, Cardinalis Archintus, qui non ignorat, quanti a me omnia a tuo politissimo ingenio profecta fiant, mecum humanissime communicavit. Et vero nihil epistola tua afferri opportunius potuit ad levandum moerorem meum ex carissimi fratris et communis sodalis morte susceptum, qua lecta incredibiliter sum recreatus. Atque hanc quidem ad rem quam multa colligis! quam multa prosequeris! quanta varietate! quanto delectu! quanta doctrina! Tullius ipse, qui egregium *de Consolatione* volumen scripsit, si te disserentem audisset, vidisset profecto, quibus e fontibus vera peti consolatio debuerit, et *non vultum tantum,* ut affirmat, sed *animum* etiam *componere* didicisset. Contempsisset prae te Posidonium illum suum magniloquentem sive potius vaniloquentem, et coram romano imperatore litteraria sua scripta inanitatis plenissima effundentem, totam denique stoicorum sectam cum principe suo eiurasset; sed nimirum aliqua homini ethnico venia danda, cuius oculi caligaverunt et caecus ipse caecorum dux exstitit. Nobiscum vero singulari Dei beneficio multo aliter actum est, quibus divina e caelo lux affulsit, quae effusas a superstitione et longe lateque diffusas tenebras dissipavit. Nobis utique affatim suppetit, unde veram petamus consolationem, nec aegrius, quam par est, quod vetat Apostolus, *contristemur de dormientibus, tam-*

quam ii, qui spem non habent. Quo loco recte animadvertis, non praecipi nobis in carorum morte ne lugeamus, sed moderemur dolori et desiderio modum imponamus. Neque vero solum epistola tua aegritudinem ex fratris obitu susceptam lenivit, sed etiam, ut fere coniuncta sunt funera, ex consecuta morte Patris Maturini Germani Le Forestier, quo conscientiae moderatore plures annos usus fueram. Is mihi apprime carus fuit et propter eximiam pietatem et propter excellentem doctrinam. Erat praeterea in agendis expediendisque negotiis singularis prudentiae et mirae dexteritatis. Quas ob virtutes communibus votis ad supremum totius Societatis regimen expetebatur, qui si gubernaculo assedisset, fortasse aut imminentem tempestatem depulisset, aut certe saevientem atrociter aliqua ex parte mitigasset. Sed Deo aliter visum, cui repugnare nec possumus nec debemus. Quare maximas habeo gratias et tibi pro officio praestito, et amplissimo viro pro commodata epistola, quam rectius volumen dixerim. Sed quo tandem cumque modo appellanda sit, eiusmodi fuit, ex qua meo in luctu tantum me percepisse solatii fateor, quantum profecto neque multa lectione, neque assidua commentatione, neque ipsa diuturnitate temporis, quod huic animi affectioni mederi solet, assequi potuissem. Vale, et me Deiparam precibus tuis propitiam reddito.

Iosephus Marianus Parthenius — Raimundo Cunichio sodali suo S. P. D.

XVII. Si tibi uni Iliadem e graeco in latinum carmen conversam gratuler, minus certe videar eximii ac praeclarissimi operis excellentiam agnoscere. Tale enim est opus hoc tuum ut non tam ad te, quam ad universam debeat litterariam rempublicam gratulatio pertinere. Dolebamus poetarum facile principem nequaquam omnibus,

qui litteris dant operam, patere, ad eumque optabamus, ut a viro et acerrimo ingenio et singulari quadam facultate praedito illustris aditus ac magnificus aperiretur. Quotus enim quisque est, qui graece sciat, et ita sciat, ut Homerici carminis vim, leporem, elegantiamque assequatur? Aggressi quidem sunt aliquot doctissimi viri et utriusque linguae scientissimi Homerum latino carmine efferre, sed ii partim infortunio, partim conversis alio studiis in ipso suscepti operis molimine defecerunt, et nobis tantummodo tenue quoddam industriae suae specimen reliquerunt. Solus Elius Eobanus in incepto perstitit, et quod inchoarat absolvit. Sed, ut eius laudes in incepto constantiam, nihil, ut mihi quidem videtur, praeterea est, quod aliqua vera laude dignetur. Dicam de me, et quod expertus ipse fui, libere expromam. Ego sane cum mihi Homerum omnino legendum constituissem, ne prorsus in tanti poetae, unde *ceu fonte perenni Vatum pieriis ora rigantur aquis,* prorsus ignoratione versarer, ad Eobanicam versionem, quae sola deducta erat ad calcem, necessario confugiendum fuit. Verum vix eam legere institui, tam auribus meis, quas Virgilianis modis assuefeceram, absona atque incondita visa est, ut illam continuo repudiarim, ne inde in me detrimenti plus, quod nolebam, quam emolumenti, quod in ea lectione spectabam, redundaret. Itaque, ut tantum vatem aliquo modo haberem cognitum, consultius existimavi, versionem alteram, quae verbum verbo reddit, adire, eamque properando decurrere. Sed haec Homerum magnifice illum quidem ingredientem, et cum granditate quadam ac maiestate progredientem, ita abiicit, ac prosternit humi, ut prope infra humum ipsam compellere ac detrudere videatur. Quid facerem? dura sane ac gravis molestia necessario subeunda fuit, ut si minus delectari, erudiri saltem possem, et de tot tantisque rebus, quarum mira quaedam ac prope incredibilis in Homero copia est,

aliquo modo edoceri. Hactenus de me. De te autem quid dicam? quibus verbis, qua oratione operis tui praestantiam, excellentiamque exaequare me putem posse? Tu solus ad tantum opus acerrimum ingenium et singularem facultatem et non intermissam contentionem attulisti. Tu Homeri aeque ac Virgilii vim, totamque condendorum carminum rationem assecutus eam carminibus exprimere tuis potuisti. Tu denique interpretationem tuam sic utriusque indoli, atque ingenio attemperasti, ut Homerum legens mihi videar expressam Virgilii effigiem cernere. Ne longum faciam; quem tu interpretem eximium et numeris omnibus absolutum postulasti, qualis antea non exstitit, et fortasse desperandum erat exstiturum, cuius absolutissimam formam animo te habere comprehensam affirmas, cui faves, quem admiraris, cuius excellentiam contemplans tu te ipse, tuamque interpretationem despicis, hunc ego non futurum prospicio, non opto, ut existat, sed in te praesentem et cerno et contemplor et admiror, tibique interpretationem tuam quanta maxima possum verborum significatione gratulor. Macte igitur isto tuo opere, ut quivis alius si quid simile tentare in posterum cogitet, de tanta assequenda praestantia desperet, et alio studia sua convertere conatusque cogatur. Quare vides, ut ab initio exorsus sum, esse profecto, cur, non tam tibi opus hoc tuum, quam universae litterariae reipublicae valde gratuler; quod vero ad me attinet, est cur doleam, quod in senectam meam dilatum mihi amplius usui esse non possit, quo ego adiumento ad poeticam facultatem omnino, ut arbitror, necessario, si minime caruissem, aliquid certe melius hoc in genere et perfectius edidissem. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Bernardo Zamagnae sodali suo S. P. D.

XVIII. Scripsi nuper ad Cunichium nostrum, eique non solum, sed toti litterariae reipublicae Iliadem suam, elegantissimo latino carmine expressam sum gratulatus. Nunc vero ad te scribens, est profecto, cur non solum tibi aeque atque illi Odysseam tuam non minus eleganter expressam, sed mihi etiam ipsi quodammodo gratuler. Cum iuvenis adhuc esses et incredibili quodam optimarum artium studio flagrares, et nova in dies ac praeclara poeticae facultatis tua specimina ederes, ea scripsi de te, quae *lib. VI.* Electricorum meorum leguntur.

At qui consequitur florens vernante iuventa, Iamque umbrata gerens Phoebea tempora fronde Vates quantus erit, cum firma advenerit aetas. Haec ego non vaticinans more poetarum, sed antecedentia consequentibus adnectens probabili ratiocinatione usus augurabar, immo vero certissime eventura iam tum animo prospiciebam. Et saue eventus declaravit me vatem non vanum, sed certum futurorum coniectorem exstitisse. Talis enim a te Homerica Odyssea in Latinum carmen conversa prodiit, qua ad hoc usque tempus Latium caruit, et quae nonnisi a viro docto proficisci poterat, acri ingenio, et iis instructo praesidiis, quae ad tantum munus pro utriusque linguae dignitate exequendum requirebantur. Iam vero si virtutes omnes, quibus interpretatio tua distinguitur, persequi velim, facile definitos epistolae fines praetergrediar. Si iudicium exquiris meum, tam elegans, tam polita, tam limata, tam omni ex parte absoluta ac perfecta, tam denique digna Homero visa est, ut nihil magis. Quamquam non te ad iudicium meum adducam, sed te potius ad iudicium revocabo tuum, quod tu ipse his verbis declaras: *Volo in interprete iudicium acre, atque eximiam in ea facultate scientiam; volo maximam*

et eius linguae, qua usus est auctor, et eius in qua ipse scribit, peritiam. Has tu leges durás sane ac severas interpreti sanxisti, quas, opinor, nunquam inconsiderate sanxisses, nisi tibi probe fuisses conscius, illas fuisse a te sancte religioseque servatas. Et vero ego ipse animadverti in interpretatione tua *et acre iudicium, et eximiam in poetica facultate scientiam et summam utriusque linguae peritiam,* omnia denique, quae tibi apud idoneos lucubrationis huius tuae aestimatores singularem concilient existimationem, et famam nomini tuo apud posteros sempiternam. Nunc ut consortem praeclari laboris complectar, tuamque cum eius laude coniungam, uterque exegistis opus eximium, admirandum, singulare, quod *nec Iovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.* Opus non utile solum, sed etiam necessarium, magnoque omnibus, qui poeticae facultati daturi sunt operam, usui atque adiumento futurum, quo ego si infortunio meo carui, laetor posteritatem maximo suo bono non cariturам. Hoc equidem iam pridem ab utroque vestrum effici summopere optavi, quod nunc gaudeo a vobis ita esse perfectum, ut excellentius non possit. Optatum hoc meum his versibus Electricorum *lib.* 6 expressi *O utinam patrias dediscat Athenas, Et Latio incedat Romana per oppida cultu.* Et vero per vos ita incedit, ut ambigi iure possit utrum advectus e Graecia in Latium Homerus sit, an in ipso Latio natus et ad poeticam institutus facultatem dici debeat. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Bozzolo sodali suo S. P. D.

XIX. Perfunctus debito gratulationis officio cum Raimundo Cunichio et Bernardo Zamagna, quorum alter, ut nosti, Homeri Iliadem, alter Odysseam elegantissimo latino carmine expressam edidit, te praeterire omnino non possum;

immo vero multo ante eodem prosequi officio debueram, qui multo ante hos utrumque Homericum poema complexus, eleganti carmine in etruscum sermonem conversum in lucem emiseras. Non quidem tantum opus aggressus es primus; quod certe in summa laude ponendum est, siquidem, qui primus alicui egregio operi manus imponat, operae etiam pretium faciat; si secus, tam laudandus est, quam qui primus in stadio currere instituerit, et postremus ad metam pervenerit. Florentiae cum essem praedicari audiebam et miris in caelum laudibus ferri Salvinianam Homeri versionem, de qua quid iudicandum sit, nemo te graecae et etruscae linguae scientissimo melior iudex, nec gravior esse potest. Ego certe vix illam in manus sumpsi et coepi legere, non modo nullam mihi voluptatem, sed vel ab ipso lectionis exordio satietatem ac fastidium attulit, ut progredi ulterius legendo non potuerim. Primum eo carminis genere expressa est, quod nos *solutum* vocamus, et quam maxime ad prosam orationem accedit. Cuius quidem carminis ea natura est, ut nisi poetica plane locutione sustentetur et erigatur, repat humi et nescio quid humile atque abiectum retineat. Qua in abiectione atque humilitate dictionis, non modo *disiecti membra poetae* non apparent, sed poeta ipse prorsus disparet. Hoc mihi evenit Homericam hanc, de qua dico, versionem legenti, ut Homerum in Homero quaererem et nusquam invenirem. Hoc primum; deinde cui illa probari possint, et non potius stomachum moveant *la Bianchibraccia Giunone, la Glaucocchia Minerva,* quae in ista versione passim occurrunt, ut sane mirer hominem etruscum et in media Etruria natum atque eruditum non vidisse ea esse prorsus ab italicae linguae indole atque ingenio abhorrentia? Graeca lingua omnium locupletissima plurimis huiusmodi coagmentatis vocabulis abundat, quae summam ei venustatem afferunt ac dignitatem; eadem vero ad aliam linguam traducta, non modo venustatem omnem

ac dignitatem amittunt ; sed ita absona , absurda , incondita evadunt , ut ea aures ipsae respuant , atque aversentur. At verbum verbo reddere voluit. Ridicula, anilis, viro gravi ac docto indigna superstitio. Qui ita se gerit , male profecto auctoris, quem in alium sermonem convertit , existimationi consulit. Dum enim eius quamdam quasi imaginem et quam simillimam intuentibus offerre contendit, monstrum quoddam ac portentum exhibet , quo obiecto statim oculos non sine indignatione avertas et alio convertas. Sed quod interpretis munus sit, quae recta dici interpretatio et haberi debeat , definivit Cunichius noster in sua ad Iliadem praefatione , nulla ut amplius hac de re controversia esse possit, dirempta sit omnis lis, sublatumque dissidium. Iam , ut ad tuam Homericam interpretationem veniam, non Homerum in Homero requiro, sed in ea totum Homerum , qualis quantusque est, poetarum omnium longe principem et poeticae ipsius artis effectorem perfectoremque, tametsi alienis indutum atque ornatum insignibus, et invenio, et agnosco , et admiror. Areostum secutus , eius in condendo italico carmine felicitatem assecutus es, quam sic Homero accommodasti , nihil ut elegantius effici feliciusque potuerit. Cultu per te incedit peregrino ipsi quidem, sed ita, ut nullum peregrinitatis vestigium appareat. Aeque inter nos, atque inter suos grandis poeta splendide ac mirifice graditur, ac praetereuntium ad se oculos admirationemque convertit. Hoc conari , hoc reipsa efficere quam magnum sit , quantaque dignandum laude , quis tandem verbis assequatur ac satis digna laudatione prosequatur ? Paucis admodum hoc interpretibus, quibus Melpomene faverit, et non laevus Apollo annuerit, obtigit ; Homeri vero interpretum, te excepto, et duobus communibus sociis, obtigit nemini. Quare praeclarissimum opus hoc tuum , non solum tibi sed Italiae nostrae summopere gratulor, quae tibi uni debet, quod Homerum a te

civitate denatum civem iure dicere possit suum. Nec vero Italia solum tibi hoc nomine obstricta est, sed etiam Latium. Exemplo enim tuo, effectum est ut eumdem eodem sibi iure civem queat adsciscere. Cunctanti enim sodali stimulos adiecisti, quibus incitatus et inchoatum opus perfecit, et in partem egregii laboris amicum vocavit. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Xaverio De Marco sodali S. P. D.

XX. *Atque equidem ni iam vicinum palmula littus Stringeret et terrae festinem advertere proram, Latius aeriis eadem ut dominetur in oris Vis canerem;* et reliqua, quae interiectis aliquot versibus leguntur: *Haec ego nunc aliis, si quos vehementior alto Ardor agat coelo impellatque accedere tantam Naturae ad partem post commemoranda relinquo.* Sic olim scripsi et edidi libros *Electricorum* meorum, quibus vim *Electricam*, quae artificio commovetur, persecutus sum, alteram, quae natura, praetermisi, atque aliis virgiliano usus hemisthichio commemorandam reliqui. Haec cum scriberem, fateor, nihil me optasse magis, quam ut sodalium meorum aliquis ad tantum argumentum accederet, et hanc veluti spartam poetice ornandam susciperet. Ecce autem praeter omnem exspectationem voti mei me compotem esse factum mirifice sum incredibiliterque laetatus. Non enim sodalis tantum meus sed e sodalibus mihi carissimus et amicissimus, non meo quidem admonitu aut impulsu, sed sponte sua quod *aliis* versu exponendum reliqueram, elegantissimo etrusco carmine extulit, et poetico lepore ac mira suavitate condivit. Itaque vix tu eximium opus tuum a te inscriptum *Il fluido elettrico applicato a spiegare i fenomeni della natura;* et Anconae anno MDCCLXXI impressum mihi obtulisti, libentissime accepi, cupidissime legi, maximopere probavi. Quid enim est in hoc opere,

quod non eniteat, quod non ad omnem poeticae facultatis leporem, et venustatem perfectum sit? Equidem maluissem latino carmine scripsisses, sed quandoquidem etruscum optare libuit, nihilo tamen minus affirmo citra omnem assentationem, a qua quantum et ingenio et institutione abhorream, tu probe nosti, affirmo, inquam, virtutes omnes, quas in principibus poetis admiramur, in poemate tuo sic elucere ut cum illis de excellentia possis praestantiaque contendere. Illud vero prorsus in te singulare, quod italice scribens sic inhaeres Virgilio, ut pressius nequaquam posses, si latine scripsisses. Quae quidem laus aut tua solum, aut cum paucis communis, quos *aequus amavit Iuppiter, et blando lumine Melpomene Aspexit.* Gratulor igitur tibi egregium hoc opus tuum, et quandoquidem tantam facultatem nactus es, tibi maximopere auctor sum, ut si minus naturam omnem, quod nimis late pertinet, saltem praecipuas eius partes eadem praestantia elegantiaque persequaris. Vale et me Deiparae, cuius te studiosum esse scio, commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Francisco Mariae Lucchino sodali S. P. D.

XXI. Etsi iam debito gratulationis officio pro editis a te SS. Martyrum Actis, iisque luculenter tuis animadversionibus illustratis, voce coram perfunctus sum; tamen idem officium iterare scripto placet, ut litterarum monumentis consignatum et perennius exstet, et latius, si forte meas has epistolas edi contingat, emanet. Non quod is ego sim, qui quidquam cuiquam ad immortalitatem nominis conferre possim, quam tua tibi egregia scripta per se conciliabunt, sed ne mea haec qualiscumque erga te existimationis expressius declaratae significatio prorsus intercidat. Iam quid primum, ut meum de egregio ac praeclarissimo opere tuo iu-

dicium expromam, tibi potissimum gratuler? Materiae ne delectum, an elegantem ipsius, ac plane doctam eruditamque tractationem? Materiam sane, ut eius omittam utilitatem, neque illustriorem, quod per se patet neque vero quod maxime expetendum erat, his temporibus opportuniorem optare poteras atque adeo necessariam in tanta de catholica religione minus recte sentientium effraenataque licentia. Nam quo graviori testimonio, quam a SS. Martyribus petito confirmari nostra religio potest, qui pro ea tutanda vitam ac sanguinem profundere non dubitarunt? Quo autem certiori refelli argumento eius adversarii possunt, quam hoc ipso, quod nobis Acta Martyrum abunde suppeditant, et ii prorsus destituuntur, ut adigantur aut id fateri, aut novum et inauditum Martyrum genus confingere ex sceleratis hominibus perditisque collectum? Materiae vero tractatio, ipsa quoque neque elegantior neque doctior esse potuit. Acta Martyrum vindicas, auctoritatem tueris, omnia ex omni antiquitate colligis, quae ad eorum adstruendam fidem asserendamque veritatem conferre possunt. Ducem quidem, quem in hoc veluti itinere sequereris, optimum elegisti, cui tamen ita inhaeres, ut ab eo non raro discedens non modo non aberres a via, sed certius etiam ac felicius, quo contendis, pervenias. Quare cum talis tantusque sis, tibi maximopere auctor sum, ut tute tibi dux esse velis. Novam scribendi materiam eamque longe uberrimam Romanorum Martyrum Acta nondum edita sufficiunt. Nam quae urbs, quae regio unquam exstitit, quae hac laude cum urbe Roma possit contendere? Ubinam gentium Acta Martyrum aut primum scribi coepta, aut perscripta accuratius, aut servata diligentius? Plurimum quidem ea Baronio usui fuerunt, sed ab aliis historicis, qui res ecclesiasticas persecuti sunt, aut neglecta aut parce admodum delibata. Quare ita se gesserint inquirere, non est mei instituti. Ego hoc sic interpretor, ut

tibi quodammodo ea reliquerint, qui ea e scriniis, in quibus latebant, primus erueres, et in lucem ad Ecclesiae Romanae decus atque ornamentum emitteres. En tibi materies digna ingenio, digna opera, digna pietate ac religione tua, in qua si elaborares, non est cur dubites, quin summam gratiam non modo apud pios homines, sed apud Deum sanctosque Martyres sis initurus. Vale, et me Deiparae Virgini commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Xaverio de Marco sodali S. P. D.

XXII. Mutavi consilium: qui te postremis litteris ad praecipuas naturae partes carminibus persequendas hortatus sum, non pergam insequi ulterius adhortatione mea, et ad illud studiorum genus in quo mihi visus es excellentiam consecutus impellere. Audio te aliud quiddam nunc multo gravius atque utilius cogitare: suscipere nimirum Romanorum Pontificum causam eosque ab hereticorum obtrectationibus calumniisque vindicare. Praeclarum sane cogitatum dignum pietate ac religione tua, addo etiam Societatis alumno dignum; cui cum semper id proprium fuerit ac singulare, nunc nescio quid habet admirationis, quod hominum animos multo quam antea acrius vehementiusque percellat. Neque vero admiratio ista sterilis atque inanis evadet. Ex hoc enim coniectura capi poterit, quo animo Iesuitae erga Ecclesiam catholicam adhuc sint, a qua nulla vis abstrahere eos potuerit atque avellere. Aggredere igitur quod cogitas, nec ab incepto velis desistere, donec omni absolutiori modo, quod meditaris, ac ratione perficias. Non tibi facultas deest, quo minus, quod velis, assequaris Exemplo suo te alii sodales praeiverant, et in primis Augustani, qui pergunt catholicam religionem et editis et scriptis libris contra adversariorum conatus strenue fortiterque defendere. Hi tibi et exemplo et incitamento sint, tibique persuade

plus isto quam alio quovis modo communem iuvari causam, et inimicorum refelli atque infamari iniuriam. Vale, et me Deiparae commenda, quod si a te impetravero summo me affectum beneficio existimabo.

Iosephus Marianus Parthenius — Ignatio Rossio sodali S. P. D.

XXIII. Arduum sane opus ac perdifficile aggressus es, cuius mihi specimen in epistola quadam ad Constantiam Augustam scripta et Eusebio Caesariensi attributa, a te vero e graeca in latinam linguam eleganter conversa exhibuisti. Legi diligenter epistolam, legi tuas in eam enarrationes, probavi stilum, miratus sum doctrinam et singularem eruditionem, quae satis ostendit te in Latinorum, Graecorumque Patrum lectione apprime esse versatum, et summam utriusque linguae cognitionem assecutum. Apices porro Graecos et litterulas ita scribendo efficis, ut concinniori forma quam ipsi Latini efficti expressique cernantur. Quod vero tot accentus, quibus unaquaeque propemodum littera a Graecis distinguitur, quique non tenue scribentibus negotium facessunt, expunxeris, probo. Verumtamen iterum affirmo, te arduum esse opus ac perdifficile aggressum, qui novam Eusebii Pamphili editionem adornandam susceperis, et quidem ita, ut opera omnia tanti auctoris sive edita iam, sive nondum edita complectaris, tuisque pretium addas enarrationibus. Qui tantum onus sibi imponere meditetur, vides profecto suas ei esse vires probe explorandas, et *quid ferre recusent, Quid valeant humeri,* diu multumque considerandum. Eusebius plurima scripsit, et teste Hieronymo *infinita edidit volumina*, quorum etsi multa perierunt, multa tamen supersunt, ut ea colligere, collecta disponere, ad pristinam manuscriptorum codicum fidem revocare, obscuris lucem,

novum lumen afferre illustribus operosa res sit, plena negotii, referta molestiarum, nec temere a quoquam suscipienda. Huc accedit, quod opus hoc tuum, non modo arduum ac perdifficile, sed anceps etiam est, ac valde lubricum. Agitur enim de auctore nobilissimo illo quidem et gravissimo, sed incertae famae et suspectae fidei, qua existimatur pessimas Arii opiniones adoptasse, earumque pestiferum ac letale virus suis scriptis aspersisse. Sunt qui defendant, sed multo plures et gravioris auctoritatis, qui accusent et damnent. Itaque caute legendus est, et illa eius editori cura imponitur multo gravissima, qua fiat ut impune, et nullo periculo legi possit. Et sane in hac ipsa quam ad me speciminis causa misisti, epistola multa offendi, quae probari omnino non videntur posse. Multa ita versute et callide scripta, quibus incauti et minus periti facile in errorem inducantur. Haec autem et acute pervidere, et opportune antevertere, ac salubriter praecavere, uti summi ingenii est et solertioris indaginis, ita maximi moliminis, accuratissimaeque diligentiae. Quae quidem etsi non dubito, quin tu multo ante animadverteris, quam tanto operi manum admoveres, ea tamen praetermittenda non duxi, non quo te a capto consilio dehortarer, sed ut perspiceres, me probe huius operis tui rationem totam, magnitudinem difficultatemque cognoscere. Ego sane non soleo quemquam a magnis inceptis deterrere, immo vero ad ea quantumvis ardua ac difficilia incitare. Pergam igitur tenere institutum meum, tibique, cuius mihi perspectum ingenium, doctrina, facultas, maximopere auctor sum, ut in incepto persistas, dies noctesque inchoatum opus urgeas, nec cessare velis, donec illud alacriter ad exitum feliciterque perducas. Omnia tecum faciunt, aetas florens, firma valetudo, vacatio a consuetis muneribus, otium tantum, quantum suspicari non poteramus; quibus conspirantibus et ad reliqua ingenii ac doctrinae

praesidia accedentibus non videtur de felici exitu esse dubitandi locus. Vale, et communi Patronae me commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Francisco Antonio Zaccariae sodali suo S. P. D.

XXIV. Si testimonium de oratione mea, quam pro Alma Domo Lauretana scripsi et speciminis causa edidi, a quovis alio, quam a te mihi fuisset tributum, exaggeratum profecto existimassem. Scripsisti enim gravibus sane et multum significantibus verbis in hunc modum: *P. Partenio stimatissimo ; vi rimando la divina Orazione, che mi avete voluta far leggere, e vi ringrazio quanto so e posso dell'incredibile piacere, che con ciò mi avete dato. Se tutte le altre Orazioni sono come questa, è un gran pezzo, che la Latina eloquenza non si è veduta trionfante, come nelle vostre. Che forza! che vaghezza! che affluenza di dire! Maria Santissima vi rimeriterà la vostra pietà, alla quale sola può cedere la vostra magnifica eloquenza.* Iam vero quid hic ego tanta laudum, tamque exuberanti copia, ac magnitudine cumulatus ac propemodum oppressus, quid dicam, aut quid reponam? Tene quae virtutes inesse orationi maxime debent, non tenere? te oratorium artificium ignorare? Nec certum de oratione ex artis praescripto elaborata iudicium ferre posse? Te, inquam, qui cum plurimis et singularis doctrinae et omnigenae eruditionis laude praestes, eloquentiae etiam fama et commendatione praecellis? At enim, testimonium hoc tuum tam amplum, tamque honorificum veteri amicitiae nostrae et familiaritati dedisti, ut multo plus, quam veritas pateretur, et amico dederis, et familiari detuleris. Sed isto modo iura amicitiae violasses, quae negat quidquam cuiquam vel amicissimo deferri supra quam meritus est, et quod iustum non sit. Vera enim amicitia ita cum officio cohaeret, ut ab eo seiungi non pos-

sit. Officio autem nulla nec vitae nostrae pars, nec actio, nec munus, nec ipsa amicitia vacare debet. De assentatione vero si dubitarem, tibi profecto iniuriam facerem, qui et ingenio et institutione ab hoc vitio quam longissime abhorres. Ac neque illud adduci possum, ut credam, te ita effusum in laudando amico fuisse, ut nisi tu ita sensisses, et ego meritus essem, videri ineptus et esse volueris. Restat igitur, ut quod mihi testimonium dedisti, illud veritati dederis et perspectae cuidam in arte oratoria excellentiae tribueris. Hoc certe recta ratiocinatione efficitur. Iam vero in hunc ego locum ancipitem sane ac lubricum adductus, quomodo me expliceam, non reperio. Si tuas laudes repudio, tibi iniuriam facio; si accepto, minus verecundus et fortasse nimis arrogans videbor. Sed tu ipse, qua evadam, viam commonstras, exitumque patefacis, cum affirmas solam Deiparam Virginem pietatem qualemcumque meam remuneraturam. Non diffiteor equidem, me in illa lucubratione ingenii mei nervos omnes exeruisse, quibus Mariani domicilii causam defenderem; sed fateor etiam rem e sententia non successuram fuisse, si pro sua singulari bonitate, mihi de se scribenti Deipara non affuisset. Quare quae aliqua laude dignari possunt, illi accepta referre omnino debeo; quae vero minus laudanda, mihi cogor vindicare uni. Hoc modo conciliatis rebus, et ad veritatem adductis, est quod tibi pro honorificentissimo testimonio gratias agam, et Deiparae Virgini pro collati opportunitate subsidii gratum me praestem, nec committam, ut unquam huius beneficii immemor, oblitusque coarguar. Vale, et me communium studiorum Patronae etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Xaverio de Marco sodali S. P. D.

XXV. Mea latina Oratio pro Alma Domo Lauretana, quam a me rogatus, quo latius emanaret, in sermonem italicum convertisti, ex tuo autographo Laureti impressa, et Duci Parmensi dicata tandem aliquando lucem aspexit. Gavisus maximopere sum non tam mea causa, quam tua, ne labor tuus frustra susceptus esset et inanis evaderet. In hac vero editione illud displicuit, quod editor erga te se minus liberaliter gessit. Praefatiunculam de suo addidit, in qua ut latinam orationem extolleret italicam interpretationem aliquantum abiecit. Male profecto. Primum, quis eum odiosam hanc contentionem instituere adegit? Deinde quis impulit ut se iudicem interponeret, ac demum quid sibi de auctore et interprete videretur pronunciaret? Suae partes erant videre tantummodo ut impressio quam emendatissima foret, nec quidquam ab exemplari discreparet. Ulterius progressus in eo offendit, in quo officiosus haberi voluit. Ego sane laudes nec amo, nec quaero, ultro oblatas non abnuo, modeste accipio, coniunctas vero cum alterius vel minima offensione odi atque abominor. Sed quae tua generosa indoles est et a generosa stirpe profecta, ut laudem mereri, quam captare malis, ignosces, opinor, homini minime malo, qui officium secutus lapsus est, et ab officio discessit. Vale, et me Deiparae commendare ne cesses.

Iosephus Marianus Parthenius — Annibali Oliverio Patritio Pisaurensi S. P. D.

XXVI. Est profecto, cur mirifice laeter, et non tam tibi, quam mihi gratuler, quod cum abhinc aliquot annis vela contrahere in animo habueris, ea non modo non

contraxeris, sed passis etiam plenisque velis navigare perrexeris. Ad hoc ipsum, si meministi, epistola quadam te mea sum cohortatus, animosque diffidenti et senectutem immerito accusanti addere non dubitavi. Et sane quam multa ab illo tempore, quam egregia, quanta doctrina, quanta reconditioris antiquitatis notitia edidisti! Quare non est, cur senectutem accuses tuam; immo vero est, cur ei summam habeas gratiam, quae si corporis vires aliquantum extenuavit, mentis vim experrectam, et ad litteraria munia idoneam ac bene valentem reliquit. Volumina, quae ad me hactenus perferenda curasti, legi perlibenter, et aeque ac cetera ab excellenti ingenio tuo profecta miratus sum, et illi, quam tibi in omnem posteritatem comparasti, existimationi respondent. Ut vero non est, cur senectutem accuses tuam, ita similiter non est, cur inopiam materiae in eo ipso genere, in quo scribere instituisti, causeris. Quamquam totam Pisaurensem regionem obiisse videri possis, et sacra quae exstabant monumenta eruisse omnia, noli tamen dubitare, quin etiam nunc supersint non pauca, quae tibi novam ad scribendum materiam sufficiant. Multa quidem invidiosa vetustas absumpsit, multa perdidit, sed multa quoque adhuc aut in bibliotheeis neglecta latitant, aut in alta depressa humo consepulta iacent. Haec solertiam in indagando tuam exspectant, haec tuam quadammodo implorant opem, qua eruantur in lucemque proferantur. Perge igitur pristinum tenere institutum novisque in dies edendis ingenii tui foetibus et communi utilitati servire et te ac patriam tuam magis ac magis honestare. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Xaverio de Marco sodali S. P. D.

XXVII. Edito a te praeclaro volumine, quo summos Pontifices a calumniis vindicas obtrectatorum, aliud non minus utile ac frugiferum, ut mihi significasti, aggressus es, quo totam Ecclesiasticam scrutatus historiam insigniora exempla excerpere instituisti, quibus ad pietatem ac religionem lectores excitentur tui. Macte ista tua huius argumenti electio, quo nihil ad pietatem ac religionem optare conducibilius poteras, et vero tam hoc tempore necessarium, quo in dies magis ac magis friget charitas, haeresis atque impietas dominantur. Ego quoque mihi non defui, quin laboranti christianae reipublicae pro parte mea succurrerem. Edidi proxime quinque volumina, quibus utramque causam et pietatis et religionis complexus, eam fovere et hanc tueri conatus sum. Nam quid hoc otio nobis esse faciendum arbitremur? Etiam exauctorati milites, quae possumus, arma tractemus et supremo Imperatori adversariis nequidquam contra obnitentibus serviamus. Calamum, qui nobis de manibus extortus non est, indefessa opera ad Dei gloriam et communem utilitatem cessare ne sinamus. Trecenta et eo amplius fortasse volumina in omni doctrinae genere edita iam a sodalibus nostris sunt, ex quibus unum esse audio, qui novam conficere bibliothecam meditatur ex iis tantummodo collectam, qui nunc exiesuitae vocitantur. Aemulemur horum industriam, nec nos ab iis vinci ignavia nostra socordiaque patiamur. Vale, et me Deiparae maiorem in modum commenda.

LIBER QUINTUS

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano Fratri Carissimo S. P. D.

Quandoquidem, Mariane frater, non casu aliquo, sed divino consilio factum est ut ab ipsa adolescentia disiuncti, nunquam amplius una esse possemus, dissidium hoc nostrum moderate tulimus, et commune desiderium mutuo dandis accipiendisque litteris lenire conati sumus. Memini ego, neque tu non potes recordari, cum Pisauri, quo visendi causa optimos parentes nostros veneramus, post aliquot iucundae commorationis menses, tu Cremonam reversus es, ego Romam adversis itineribus profectus sum Societati Iesu nomen daturus. Ut veni et voti compos factus fui, statim hortatu P. Francisci Piccolominei viri sanctissimi et mei in tirocinio institutoris, non omisi te, cuius mihi nota erat pietas singularis idemque iucundae Societatis studium, per litteras amanter invitare, ut tu quoque Romam venires, ibi quod vehementer optabas, multo celerius consecuturus. Sed consilium omne antevertit P. Ignatius Vicecomes tunc Provinciae Mediolanensi, postea universae Societati Praepositus, qui, ut ipse mihi diserte significavit, rem suspicatus et tuis egregiis dotibus captus moras omnes praecidit, teque suae Provinciae sodalem esse voluit. Itaque tu Mediolanensi, ego Romanae adscriptus Provinciae, uterque in statione nostra, non tam a moderatoribus, quam a supremo Imperatore nobis constituta substitimus, nusquam pedem movimus, in ea meruimus, et, quoad illi ipsi Imperatori visum fuit, nostra stipendia fecimus. Consecutum tempus memoratu acerbum et Societati luctuosum, quo tempore coacti fuimus e

nostris domiciliis emigrare, stationemque tot annos insessam relinquere. Liberum tunc nobis utique fuit, quo vellemus pergere, sed utriusque rationes tulerunt, ut in loco, quo nos calamitas oppressit, ambo perstaremus. Sic nimirum constitutum a Deo arbitror fuisse, ut dissociati in hac fluxa vita, in altera sempiternum duratura consociaremur. Quorsum ista, fortasse dices, tam alte repetita? Eo videlicet, ut declarem quanto mihi meis in studiis, si coniuncti vivere potuissemus, usui fuisses ac subsidio futurus. Graecis et latinis litteris eruditus, quid opis esse poterat, quod mihi non esses libenter allaturus? Te consiliarium, te hortatorem, te scriptorum meorum cognitorem adhibuissem. Novi ingenium tuum, novi eruditionem, novi in omni genere doctrinarum facultatem, cuius praeclara indicia prope ab ipsa pueritia edidisti. Memoria teneo, ut ea recolam, quorum meminisse delectat, quanto plausu, quanta admiratione excepta fuit illa ode tua sapphica a te pene puero venuste eleganterque perscripta. Quod autem ad acumen ingenii pertinet, neque illud non memoriae occurrit, cum tu Rhetoricae, ego Dialecticae operam darem, quam acer in lacessendo, quam promptus in respondendo, quam denique subtilis in disputando esses de rebus a te non ante cognitis, sic ut ingenii tui aculeos sentirem, et nullius ex florentissimis discipulis magis, quam tuam fugiendam disputationem putarem. Verecundabar enim, cum et aetate et gymnasii dignitate superior essem, nequaquam esse posse in disputando parem. Quo loco nec illud reticebo, quod ingenii tui facultatem declarat, cuius quoties recordor, toties summa cum voluptate recordor et recordatione ipsa vel saepius revocata valde delector. Qui datus nobis domesticus praeceptor fuerat, vir sane non vulgaris ingenii, cum se, relicta utriusque nostrum disciplina, in severiorem sacrum ordinem recepisset, nosque grammaticis adhuc tricis implicatos, aut paulo plus expeditos re-

liquisset, exacto tirocinio nescio quae italica poemata ab se conscripta misisset, exquisissetque nostrum de iis, gratiae scilicet causa, iudicium; nos vero interea temporis nostram in discendo diligentiam patrui optimi viri acuente vigilantia, non cessassemus, ut aliquid de humanioribus litteris si minus iudicare, saltem vel pueri suspicari possemus, libertate usi concessa, multa reprehendimus; recte ne an secus nunc affirmare non possum, propterea quia harum animadversionum obliterata prorsus memoria est. Illud vero, quod memini, et defendi nullo modo poterat, insigne plagium erat. Pleraque enim ex Lemenio et Magio nobilibus Insubribus poetis prope ad verbum exscripta ab eo fuerant, quod allatis locis, et suo cum scripto collatis demonstravimus; qua in re ego quoque te adiuvi, et nonnihil opis meae contuli. Ille certe quidquam reponere non est ausus, quo et plagium suum defenderet et animadversiones nostras refutaret. In Societatem vero admissus, quantos cum in humanioribus litteris, tum in omni doctrina processus feceris, quid me attinet dicere? cum fuisses multo maiores ac prope incredibiles facturus, nisi egregiis conatibus valetudo ab ipsa studiorum contentione valde debilitata ac propemodum afflicta obstitisset. Uno enim eodemque tempore et philosophiae et mathematicae et linguae graecae studuisti. Et graecae quidem linguae cognitionem ita assecutus es, ut graecas epistolas scriberes, notis usus graecis tam scite ac venuste expressis, nihil ut in apicibus haesitans, nihil in litterulis vacillans appareret, quod una efficere scribendi assiduitas poterat. Afflicta valetudo tua deterior in dies ne fieret quam cordi mihi fuerit, tu ipse non ignoras. Multa, quae apud nos et praestantis ingenii indicia, et honoris insignia habentur, sed quae intensissimam animi contentionem requirebant, quamvis tibi et merito tuo delata, ea tamen, una excepta solemni professione, a te amovenda omni studio

curavi. Malui enim te qualicumque doctrina praeditum vivere, quam vel sapientissimum ante tempus extingui. Sed quae valetudo progressus tuos praecidit, eadem subtile tibi ingenium non abstulit et acre iudicium non ademit, quae duo, ut revertar eo, si una vivere contigisset, maximo mihi adiumento exstitissent. Non nihil quidem mutuo epistolarum officio effectum est, sed hoc vivae, ut aiunt, vocis aequare officium nullo modo potuit. Iam vero, carissime frater, quas domesticus ille noster institutor animadversiones defugere visus est, ego, qui et ingenio meo et certo consilio multo aliter comparatus sum, non modo non defugio, sed a te enixe peto et vehementer efflagito. Sero quidem, quandoquidem latina volumina mea edita iam sunt; sed si ea in vulgus emissa emendari non poterunt, auctor certe poterit emendari, et animadversiones tuae his ipsis litteris consignari, quae si quando in manus hominum venerint, et ingenii tui et docilitatis meae testes erunt. Utere igitur iure, quod a me tibi conceditur; illudque pro certo habe, quo acrior erit censura, eo mihi fore gratiorem. Absit iam illa puerilis verecundia, dequa ante scripsi, quae impediebat, ne quid tale, quod mihi prodesset, libenter ferrem. Hoc autem, quod rogo, quo liberius a te fiat, illud tibi vere affirmare possum, me nemini unquam scripta mea legenda tradidisse, quin mihi vicissim schedulam animadversionum se traditurum non recepisset. Qui omnes libenter et vero etiam patienter audivi, et docilem omnibus me praebui, tu ipse, carissime frater, existimare potes, quam me facilem tibi sim praestiturus, de cuius doctrina atque ingenio tam illustria iam inde ab ipsa adolescentia habeo documenta. Odi enim et maxime abominor nonnullorum arrogantiam, qui nihil sibi obiici patiuntur, omnia pugnacissime tuentur, perinde quasi nulla in re peccare possint. Ego vero tam longe absum ab hoc vitio ut multa non excusem, et ipse me interdum ultro accu-

sem, et peccasse ingenue ac diserte confiteri non recusem. Restat nunc, ut tu in reprehendendo seponas tantisper pudorem tuum, seponas fraternum amorem, et si quam habes de mea in scribendo facultate opinionem. Haec enim pervertit iudicium; amor et pudor impediunt, quo minus libere sententia enuncietur. *Quae non ames, omnia videntur insulse fieri,* (1) quod facile a rebus ad scripta transfertur. Sed moderandum est minus rectis animi permotionibus, et ea ipsa, quae non ames, non affectione metienda, sed consilio aestimanda sunt. Quare quo severius et liberius in scripta inquiras mea, te rogo ut ea ne domestica cogites, sed ut extera, et aliena cognoscas. Illam vero, mihi opinor, veniam dabis, ut si qua in re a sententia tua discrepabo, ego quoque libere dicam, quod sentio, et opinionem interdum refellam tuam. Verum in hoc me nimis pugnacem adversarium non habebis. Vale, et me Deiparae Virgini, quam uterque carissimae Parentis loco semper habuimus, etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano Fratri carissimo S. P. D.

II. Litteris, quas ad te proxime dedi, et quae fortasse te nonnihil commorunt, has, non expectato responso, subiicere visum est quo tibi totum consilium meum aperiam, et me, omni remota simulatione, patefaciam. Iudicium quidem tuum de editis meis scriptis exquirere placuit, quo te censore emender et doctior fiam; sed hoc ipsum non tam mea causa, quam tua. Novi animi aegritudinem, quam ex recenti gravissimo infortunio cepisti, quae te dies noctesque angit, nec ullam quietis partem habere sinit. Si communem calamitatem omnes sensimus, eam tu multo

(1) Cic. Att. lib. 15. ep. 14.

acerbissimam expertus es. Itaque te moerori atque angori dedisti, qui afflictam valetudinem tuam deteriorem facit in dies, et, nisi provisum sit, te certissime perdet atque extinguet. Huic igitur morbo omnino perniciosissimo, qua ratione possum, mederi volo, ne, si neglectus inveterarit, omnem prorsus respuat medicinam. Valetudo tua, ut scripsi, cum iunior esses, mihi maxime cordi fuit, nunc vero mihi non minus cara est. Ratio vero certior, qua tibi prosim, in hoc nostro dissidio, et longinquitate regionum non occurrit, quam si coner animum tuum ab iis cogitationibus abstrahere, unde ipsa oritur et erumpit aegritudo, et ad alias attrahere, quae te eo relabi non sinant, unde ipsa ducitur origo mali. Hoc est in praesentia consilium meum, quo permotus constitui te ad hoc litterarum genus iamdiu intermissum multo crebrius, quam antea, revocare. Medicinam quam exhibeo et confido salutarem futuram, opinor, non repudiabis; amabis studium meum, cui non dubito, quin sis obsecuturus. Quod si a te impetraro, summam mutui amoris nostri et fraternae caritatis fructum me percepisse arbitrabor. Vale, et me suavissimae utriusque nostrum matri Deiparae Virgini enixe commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

III. Postremae litterae tuae summa me affecerunt voluptate, ex quibus intellexi te, quas tibi, non simulatione quadam officii, sed sincere atque ex animo detuli, censoris partes suscepisse. Multo vero gavisus sum magis, cum ex iisdem cognovi, te, quam exhibui medicinam, non aspernari. Et sane priorem e duabus, quas proxime scripsi, statim arripuisti ad reprehendendum, quod in laudes nimis fuerim effusus tuas. Voluisses, quod ego te hortatus sum,

a me quoque vicissim fraternum fuisse amorem in scribendo sepositum, ut aut ea praetermisissem, quae scripsi, aut uni studuissem veritati; quae non tam mendacium respuit, quam laudes exaggeratas, quas affines esse mendacio recte affirmas, summopere aversatur. Ego vero, ut ingenue fatear, illa dum scriberem, hoc ipsum a te obiici tacita mihi cogitatione sentiebam, nec dubitavi, quin istud ipsum et quidem primum in responsione obiiciendum a te ac reprehendendum foret. Hic autem quid dicam, frater carissime? quid reponam, quod tibi praesertim, quo de agitur, probetur, cuius mihi nota modestia singularis, qua fit, ut quae alii in te suspiciunt, ea tibi deesse arbitreris, et, si qua sunt laudanda, ea non modo non laudari, sed ne commemorari quidem patiaris? Mihi certe non videor sic fraterno amori indulsisse, ut minus studuisse veritati coargui possim. Quae epistolae mandavi, si recte attendisti, mera facta sunt, quae ne tu quidem inficiari potes. Ea porro historico more narrata, non oratoria arte expolita. Quamquam si hac usus essem, nihil a me contra veritatem temere fuisset affirmatum. Ego enim artem oratoriam nunquam eam existimavi, quae vel laudando, vel vituperando mentiatur, et quas res ornandas susceperit, eas exaggerando supra veritatem efferat. Quod si quae narrantur, sunt praeclara per se et ab eius, de quo scribitur, laude seiungi nequeunt, id rebus est ipsis, non scriptori tribuendum. Hoc cuivis probari debet, qui historiam nolit de medio tollere, aut mendacii insimulare. Domesticas porro a domestico vulgari laudes, quod vetare pudor quidam videtur, eatenus intelligendum puto, quatenus et modus sit, et ratio tempusque concedant. Verum ne me contra atque recepi, nimis pugnacem ostendam, do quod vis; peccasse me fateor, et in posterum laudibus parcam tuis. Vale, et me Deiparae vehementer commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

IV. Alteram submitto epistolam, quo placatior fias: scripsisti enim subiratus, ut vereri subeat, ne, quod recepisse mihi visus es, mutato consilio, re ipsa sis effecturus. Quare iterum atque iterum veniam rogo, et errasse me fateor. Sincera hac confessione, opinor, contentus eris. Sincera confessio superos placat, et homines conciliat, et tam venia danda confitentibus, quam neganda inficiantibus. Scio te laudes promereri malle, quam si quid laude dignum gesseris, praedicari. Novi modestiam tuam, quae tamen, pace tua dixerim, velis, nolis, quas respuit laudes, non deterit, sed cumulat magis, ut qui eas aversetur, is maxime laude dignus habeatur. Iam ut res bona utrinque gratia componatur, epistolam illam, quam reprehendis bifariam dividito; qua parte laudes prosequitur tuas, quae tibi odiosae ac molestae fuerunt, eam aut scriptam ne putato aut ne forte unquam lucem aspiciat, sic inducito, ut sub litura prorsus delitescat. Alteram vero partem, quae censuram efflagitat tuam, retineto, et mihi in re, quae utrique maxime profutura sit, morem gerito. Aggredere igitur, iterum rogo, obsecro, obtestor, ad mea scripta et oratoria et poetica cognoscenda, et tibi tradita utere potestate. Mihi crede, nihil gratius te fratri tui amantissimo facturum, qui, quod pauci admodum, censuram non recusat, cum plerique supra omnem se esse censuram arbitrentur. Verissime Tullius ad Attic. lib. 14 ep. 20. *Nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur; hoc etiam malis contingit.* Ego vero tametsi et malus poeta et malus orator sim, hoc tamen vitio non laboro. Nemini certe me unquam praetuli, nec me cuiquam censui anteponendum. Quem mihi locum inter oratores ac poetas harum artium

aestimatores idonei detulerunt, hoc contentus fui, nec altius aspirare sum ausus, quam quo suffragio isti me suo provexerunt, nec repugno, siquidem istis ita videatur, ad subsellia inferiora descendere, et vel in novissimo loco consistere. Quare animos sume, censurae ne parcito; quo acrior, eo gratior erit; et me vel ad infima, si libet, detrudito. Non abnuo, non recuso; ibi iacebo ubi tu voles, cui illud persuasum velim me nihil affectare magis, quam summum apud te amoris et fraternae caritatis locum obtinere, a quo certe, dum vivam, deturbari non patiar; quem autem habeam, ex tua censura iudicabo. Vale, et me Deiparae etiam atque etiam commenda, quem sic meum censorem opto, ut magis apud eam pro me deprecatorem cupiam.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

V. Recte tu quidem censuram exordiris tuam a poetico Electricorum opere quod primum in lucem emissum, non tam in manus doctorum hominum venit, quam publicae censurae obiectum fuit. Et quidem me statim revocas ad absolutissimum exemplar, quod mihi unum ad imitandum proposui, et quod unum, quantum studio et ingenio contendere potui, exprimere adnisus sum. Ego vero non dubito quin non modo tu, sed omnes poeticae artis intelligentes et Virgilii praesertim studiosi multa requirant, quibus si illud opus ad tantum exemplar magis fuisset exactum multo ornatius certe et perfectius exstitisset Ego quoque nunc, cum illud interdum evolvo, multa video, quae minime probo, multa, cum in manibus esset et per otium perpolirem, videbam, multa tunc, fateor, conatum esse me, multa molitum, ut re assequerer, quod animo comprehenderam; sed irrito conatu et nullo

molimine. Neque enim *omnia possumus omnes*; et aliud est aliquo aspirare, aliud quo aspiras, pervenire. Legebam Virgilium, meditabar, contemplabar, me totum mente et cogitatione in eius scribendi genus coniiciebam; conabar, nitebar, si quo modo, omni exerendo nisu, assequi possem, quo propius ad eius imitationem accederem. Sed conatibus non respondebant vires, nec optatis eventus: illud experiebar quod nobis evenire somniantibus solet. *Nequidquam in somnis avidos extendere cursus Velle videmur, et in mediis conatibus aegri Succidimus; nec lingua valet, nec corpore notae Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur* (1). Nimirum quam facile veteres scriptores admirari possumus, tam aegre ac difficulter possumus imitari. Divinum quoddam iis obtigit ingenium, cui nostra, ut nunc sunt, comparari non possunt. Singularem praeterea cogitandi expoliendique nacti sunt facultatem, ut de illis insequendis desperandum omnino sit. Hoc ipsum animadvertere est in affinibus et cognatis artibus, quas proxime ad veritatem adduxerunt. In signis graecis nescio quid admiramur, quod tantum abest, ut re nos ipsa assequi, ut ne verbis quidem possimus exprimere. Hoc praecellentiores artifices vident, sed cum ad imitationem ventum est, ars eos repente deficit atque destituit. Quid hoc sit, ne verbis quidem, tantum abest ut re ipsa exprimi possit, et hoc est quod *nescio quid* dicimus propterea quia ut eius satis explicatam cognitionem habeamus, verba satis idonea non suppetunt, quibus perceptio ipsa explicetur. Quare qui ad veteres scriptores propius accedit, is operae pretium fecisse iudicandus est, et id ipsum in summa eius laude ponendum. Ego vero quam longe absim a Virgiliani exemplaris absolutione, si non agnoscerem planeque perspicerem, non modo lippus, sed caecus essem; et ne id quidem, quod hoc in genere effeci, si quid unquam lau-

(1) Aeneid. lib. 12 v. 90.

de dignum effeci, efficere potuissem. Verum ut ad tuam nominatim animadversionem veniam, stilum quidem probas, Virgilianum agnoscis, sed voluisses multo arctius Virgiliano ipsi stilo inhaesissem. Reprehendis fusiorem esse me in scribendo et multo laxiorem, quam Virgiliana Georgicorum, quae exprimere et re et verbis et numero debueram, imitatio patiatur. Sagax animadversio, iusta reprehensio, quam refellere nequeo et probare cogor. Verum hoc quam admirabile in Virgilianis Georgicis, tam vix ac ne vix quidem est imitabile. Utinam quantum huic rectissimae animadversioni tuae defero, tantum efficere ingenio atque industria potuissem! aliquid profecto melius, atque perfectius ex decem annorum assiduo studio et contentione emersisset. Me divinum illud opus propemodum legendo contrivisse ne dubites, et quae legebam, crebro iterasse et animo revolvisse, nec non selectiora loca decerpsisse, quae attentius perpenderem. Atque ut unum hic e multis afferam, illud exemplo sit: *Urit enim lini campum seges, urit avenae, Urunt letheo perfusa papavera somno.* Deus immortalis! Quam multa! quam paucis! quanta elegantia! quanta numerorum suavitate! quanto concentu! Tria genera eorum, quae agris officiunt, duobus tantummodo versiculis comprehendit, comprehensa elegantissime effert, ut non possit melius. Papavera vero illa poeticis depicta coloribus sententiam eludunt quam belle! quam numerose cadunt, nihil ut auribus accidere dulcius possit atque iucundius! Sexcenta huiusmodi exempla in eo divino opere illud attentius contemplanti occurrunt, sed quae, ut mihi evenit, frustra coneris, et omnino desperes imitari. Iam vero quid mihi ita comparato ut magna conarer, quae autem conarer non assequerer, faciendum putasses? aut naturae obsecundandum fuit, qua ad fusum scribendi genus ac profluens ferebar, aut inchoatum opus omnino relinquendum. Obluctari autem naturae idem prorsus erat,

atque obluctari Minervae; qua invita ac repugnante nihil fit, quod aliqua laude dignetur. Incedendum erat duos inter scopulos, in quos facile impingeres, et dum unum vitares, in alium incurreres. Verebar enim ne dum pressus esse vellem, concisus, minutus, exilis, aridus evaderem. Usque adeo quod perfectum est nullo spatio metiri possis, sed puncto, quod nullam magnitudinem habet definitur. Eius vero quam a me requiris limati et contractioris stili expressionem aliquam, sive potius adumbrationem in libro primo fortasse reperies, in quo exarando minus laevum Apollinem sum expertus, et quae efferenda erant, non tantum habebant difficultatis, quantum in processu operis praeter exspectationem offendi. Tu vero, cuius iudicium magni facio, reliqua quae sunt in hoc opere vitia, quae multa esse non diffiteor, notare perge. Vale, et Deiparam Virginem mihi modis omnibus concilia. Hoc te oro, hoc obsecro, quod orare nunquam atque obsecrare desinam.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Mariano fratri carissimo S. P. D.

VI. Vide, quaeso, quandoquidem de stilo proxima epistola scribere institui, vide, inquam, quam sint varia, atque adeo interdum minus recta hominum ceteroquin non indoctorum iudicia. Non defuerunt qui opus hoc meum miris in caelum laudibus efferrent, et quo altius extollerent, Lucretiani a me stili nonnihil quasi coloris ei aspersum esse operi affirmarent; a qua laude tam longe absum, quam longe a Lucretiana imitatione certo consilio semper abfui. Neque enim unum aut alterum vocabulum Lucretiano more usurpatum Lucretianum efficere stilum potest, nec illum, quem sibi videre visi sunt, colorem allinere. Nunc ut quod hoc de Poeta sentio dicam, ego vero illum legi, sed eatenus, quatenus mihi nonnulli futurum usui

existimabam. Miratus sum viri ingenium, copiam, latinitatem, acumen dialecticum, totam denique poetico metro philosophandi ab eo disserendique rationem conclusam. Atque hae quidem virtutes mea sententia in Lucretio eminent, qui omnium princeps *museo lepore* Epicuri inventa condivit, et Epicurum ipsum ab hortis suis ad multo amoeniora Pindi vireta traduxit. Quod autem ad stilum attinet, illum minus perfectum semper existimavi, nec huiusmodi, quem imitere. Sunt, non ignoro, quibus austerum illud placeat, quique horrido illo delectentur, ut in picturis, quas vetustas commendat, usu evenire solet. Sed alii aliter, ut sunt diversi gustatus hominum. Verum ut inconsulte faceret, qui aut Raphaelem aut Titianum imitari cum posset, mallet Iottum, vel alium quempiam eius aetatis pictorem, sic minus consulte se gereret, qui neglecto Virgilii absolutissimo exemplari, Lucretianum sibi exprimendum proponeret. Non hoc eo dico, quo succensere velim summis viris, qui Lucretium sunt imitati, et iis praesertim, qui in intima philosophiae, aut mathematicae adyta pervadere aggressi, plus sibi a Lucretio adiumenti, quam a Virgilio suppeditatum iri optimo consilio existimarunt. Recte hi quidem, quando necessitas compulit; si vero non haec adigat, Lucretium Virgilio anteponendum nemini auctor ego fuerim. Hoc ipsum et vidisse Virgilium et sensisse certum est, qui cum Lucretium legisset probassetque et nonnulla ab eo summo cum delectu excerpta suo usui accommodasset, eum tamen sua dignum imitatione non putavit. Aliam omnino viam sibi iucundam censuit, alio stilo utendum, et id quidem tanta felicitate, ut quem rudem et inchoatum in Lucretio habemus, in Virgilio perpolitum et perfectum admiremur. Et vero mihi ipsi longe facilior Lucretii quam Virgilii fuisset imitatio, si illius insistere vestigiis maluissem; sed consultius duxi Virgiliana potius vestigia legere, quam Lucretiana perse-

qui, vel ipsa rerum, quas poetice exponendas exornandasque suscepi, indocili repugnante natura, quae se multo facilius a Lucretio, quam a Virgilio edomari sivisset. Itaque, tametsi quam arduum ac difficile esset perviderem Virgilianum leporem rebus per se asperis atque horrentibus inducere, tamen hanc ipsam difficultatem minime declinandam existimavi, quae et operi pretium adderet et auctori commendationem non vulgarem afferret. Multa Lucretius imitatoribus suis concedit, multa largitur, multa indulget, multa condonat; de numero non magnopere laborat, iuncturas fere negligit, prope solutus et sine pedicis incedit, si non laxatis omnino, certe non admodum adstrictis. Virgilius contra severus poeticarum legum exactor, nihil negligit, nihil indulget, nihil remittit; omnia apta esse iubet, compacta, et coagmentata sic ut ad unguem cohaereant. Quod vero ad numerum attinet, ita fides vult esse contentas, ut ne una quidem discordet, consonent omnes, et concentum suavissimum efficiant, quem, suo si nomine appellare velis, Virgilianum dices. De iuncturis autem ita laborat, ut sine illis ne versus quidem possit exstare. His parere legibus, et ad has res per se exleges adducere, et vel reluctantes attrahere, quantum habeat difficultatis, quantum negotii facessat, nemo suspicari possit, nisi qui proprio experimento didicerit. Hoc ego in ipso operis exordio diserte professus sum, non tam mihi ut ignosceretur, quam ut difficultas rei tractandae et versibus exponendae statim ab initio a lectoribus agnosceretur. Tecum vero, Mariane frater, ut ingenue agam, sic habeto. Malui aliquid de laude operis detractum iri, quam in electione exemplaris minus accuratum videri. Qui alios ad optima quaeque in quoque genere cohortari consuevi, nolui mihi deesse; illudque quod efficere potui, exemplo meo ostendere adnisus sum, nullam tantam esse difficultatem, quae labore et contentione vinci

non possit ac superari. Vale, et precibus tuis mihi Deiparae gratiam concilia.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

VII. Quam Virgiliani stili, utpote omnium absolutissimi, optionem laudas, tam non satis probare videris argumenti delectum, non quia dignum non esset, in quo poetice exponendo elaborarem, sed quia natura atque ingenio suo Virgiliana indole valde abhorreret, ut minus eius imitationi posset accommodari. Quomodo enim, inquis, Virgiliano stilo, quae ex intima philosophia et vel ab ipsa mathematica petenda omnino erant eleganter et perspicue efferri poterant? Ut multum contenderes, tibi et Virgilianus numerus, et verba ipsa deficere necessario debebant, et prorsus idem evenire ac Virgiliano illi somnianti, de quo tu ipse in epistola tua. Hoc item refer ad difficillimas, quas de industria mihi captare visus es, descriptiones et fontis perpetui, et machinae Boylianae, et cymbali praesertim electrici, qua in descriptione elucet quidem ingenium, sed nonnihil minus felix et nimis elaboratum apparet. Tu vero nonnullis experimentis illectus, lepidis oppido atque festivis, argumentum optasti, nec satis attendisti, quantum prima specie atque aditu haberet iucunditatis, tantum re ipsa atque in progressu habiturum difficultatis. Acute tu quidem more tuo atque solerter animadvertis, et ut est in proverbio, rem acu tangis, ut mihi non tam censor, quam divinus in hoc esse videaris. Dicam igitur aperte, dicam ingenue, et non modo sententiam hac in re meam declarabo, sed me totum tibi aperiam ac patefaciam. In primis inepte atque insulse mihi facere videntur ii, qui difficultatem argumenti, quod tractandum susceperint, si tractatio minus e sententia succes-

serit, causantur, atque hanc ignorantiae suae excusationem praetendunt. Nam quis eos impulit? quis adegit, ut sibi pedicas innecterent, quibus adstricti incedere vix, ac ne vix quidem possent? Suas ante vires periclitari debuissent, et serio tritum illud ac pervulgatum cogitare: *Quid ferre recusent, quid valeant humeri*, nec onus tollere, cui sustinendo non essent. Hoc primum. Deinde nullum ego quidem arbitror esse argumentum tam difficile, tam austerum, tam asperum, atque indocile, quod non a viro idoneo vinci, mansuefieri, molliri, edomari, tractari denique quovis stilo luculenter possit atque eleganter. Hoc si quis non assequatur, sibi tribuat, non argumenti adscribat difficultati. Equidem non dubito, si Virgilius philosophiam aut mathematicam ipsam versibus exponere suis aggressus esset, quin pari atque in Georgicis facultate fuisset usurus, pari lepore, venustate pari, felicitate non impari. Huius ipsius, de qua dico, felicitatis illustre habemus documentum in Hieronymo Vida, quem ego poetam plurimi semper feci, nec satis laudare possum. Scacchiorum ludum poetice efferre aggressus rem implicatissimam mira felicitate explicavit. Quid? quod Virgilium adegit hominem ethnicum praecipua christianae religionis mysteria sic exponere, nihil ut elegantius dici potuerit ac luculentius. Equidem puto si summus ille poeta viveret, miraretur se ea locutum, de quibus nunquam cogitasset, nec vero cogitare potuisset. Usque adeo nihil est, quod humani vis ingenii, si contendat, non assequatur. Quod si veteres nos auctores scribendo assequi nequaquam posse affirmavi, id eo valet, ut summam eorum declaret excellentiam et summam imitationis indicet difficultatem. Iam ut de me dicam, ego sane, frater carissime, fatebor ingenue, nulla usus simulatione nec dissimulatione quod tu solertia ipse tua et mentis acumine perspexisti. Captus varietate atque amoenitate materiae ad eius ante tractationem aggressus

sum, quam probe difficultatem cognoscerem. Expertus novi, quid hoc negotii esset, quam ardui, quam operosi. Nihil te celabo; si res fuisset in integro desperatione adactus, quod inconsulte susceperam, consilio abiecissem. Sed quid facerem? quam rationem mihi ineundam putarem? Iacta erat alea, quam revocare non poteram. Promissum publice munus, quod exhiberi populo debebat. Obligata fides, quam praestare omnino ac liberare necesse erat. Omnis denique omni non indecoro receptui praeclusa via. Itaque necessitas coegit, pudor impulit, et me vel repugnantem atque invitum perstare in incoepto fecerunt. Ita, uti narro, se res habuit. Vides igitur, me non tam optasse argumentum, quam in eo praeter opinionem fuisse deprehensum. Damnandum, inquis, hoc ipsum, et reprehendendum. Recte tu quidem. Nihil repono, nihil excuso, sed post factum, nullum consilium. Utrum vero aliqua cum laude difficillimo in argumento versatus sim, quomodo me gesserim, quid fuerim assecutus idonei aestimatores, tuque in primis iudicabis. Paucis; si certae deliberationis fuit illud eligere, et opera in eius tractatione honeste collocata, erit profecto cur laeter a me tempus et otium non inaniter fuisse consumptum; si vero temeritatis illud aut optare, aut post optionem non abiicere, hanc non recusabo subire notam, ut exemplo meo alii condiscant, non plus conari, quam et materies ferat et vires patiantur. Vale, et precibus tuis fac ut Deiparae gratiam assequar.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

VIII. Quid est, mi frater, cur tam verecunde scribas? cur censurae parcas? cur eo iure, quod tibi a me sine exceptione concessum est, non utaris? Scripsi iam et scribam iterum, et eo saepius, si opus erit; volo a te re-

prehendi, volo corrigi, volo emendari. Sepone igitur modestiam tuam, sepone fraternum amorem, immo vero fraterno obsecundans amori fratrem tui amantissimum, tuasque animadversiones, quibus emendetur, cupidissime expetentem noli desiderio fraudare suo. Nam quid a fratre, aut etiam ab amico expeti iustius potest, quam ut melior fias, et multa, quae ignoras, docearis? Non pauca me, immo vero multa in iis, quae edidi voluminibus, peccasse si negem, mentiar. *In multis offendimus omnes,* ut, qui *minimis urgetur,* is numeris demum omnibus absolutus habendus sit. Verum ut multi et vero omnes in multis offendunt, ita pauci admodum se corrigi aequo animo patiuntur. Corripi, reprehendi, in certo errore, qui probabilem excusationem non habeat, deprehendi odiosa res est, a qua natura ipsa defugimus et valde abhorremus. Sed repugnet natura licet, reclamitet, aversetur, apud ingenuum hominem et recte animo atque optimis studiis comparatum valere veritas debet, nihil ut ea potius sit, nihil habeatur antiquius. His porro qui hac ingenuitatis laude commendantur, me annumeres velim, et ea utare libertate, quam nulla tibi circumscriptione definitam sincere atque ultro detuli. Neque enim fieri potest quin attenta et accurata lectio non pauca vel in summis scriptoribus offendat, quae minus probari debeant. Multa iis inter scribendum excidere potuerunt, quae abs se scripta nollent; multa non cogitantibus, multa etiam ignorantibus. Mihi vero cur non multo plura excidisse putem, qui nullo modo sim cum summis scriptoribus comparandus? Ego sane nihil mihi unquam sumpsi, uno tantum excepto, quod censuram non defugerim, et quae defendere interdum aliquo modo potuissem, non dubitarim condemnare. Illud enim verissimum iudico, male se rem habere, cum se res ipsa per se non tuetur et defensore eget. Quid quaeris? malo ingenui, aperti, candidi, simplicis animi laude, quam doctrinae quavis commendatione

censeri. Neque vero est cur talem esse me ac talem semper perstitisse poeniteat. Nunquam apertam hanc ingenuitatem meam expertus sum infestam atque inimicam, quae tantum abest ut obsit, ut etiam quam maxime prosit. Haec fidem conciliat, haec benevolentiam allicit, haec invidiam lenit, haec ab arrogantiae nota liberat, quae cum *omnis odiosa, tum illa ingenii multo est molestissima*. Sunt, ut scripsi, bene multi, qui nihil sibi obiici ne vel amice quidem patiuntur. Sunt, qui de se tam superbe sentiunt, ut sibi tanquam oraculis honorem haberi velint. Hos ego homines odi, semperque sum aversatus. Nam cuius tandem arrogantiae esse dicam ex numero hominum eximere sese et humanam supra conditionem efferre? *Cuiusvis hominis est*, rectissime Tullius, *errare; nullius nisi insipientis perseverare in errore*; quo quidem in errore isti fere perseverant, cum se corrigi nolunt et in eo ipso, in quo sapientes haberi volunt, insipientissimi et stultissimi deprehenduntur. Absit hoc a me, absit a candore meo, absit ab ea, quam semper prae me tuli et nunquam prae me non feram et quam appellare libuit, notione fortasse minus latina, sed ad id, quod volo, explicandum aptissima, *ingenuitate*. Haec idcirco scripsi, sive potius ex superioribus epistolis exscripsi, quo tibi animum adderem et me tibi patefacerem; quamquam ex diuturna epistolarum frequentia satis tibi intime notus esse deberem. Nihil enim est, quod cuiusvis ingenium verius et apertius prodat epistola. Cura igitur ut huius generis sint epistolae tuae quae sensus animi tui libere expromant, ut meae mea; tibi persuade quo apertior eris, eo te mihi fore cariorem. Valetudinem tuam cura diligenter; curabis autem, si animum a molestis cogitationibus abstraxeris, totumque in mea scripta cognoscenda conieceris. Vale, et me, ut facis, Deiparae Virgini enixe commenda, et quamdiu vivam a pio hoc officio ne cesses.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

IX. Nunc demum mihi places, qui remoto tantisper pudore tuo, quod sentis libere atque aperte scribis. Scribis enim tibi videri me in meo Electricorum opere nimium Societatis Iesu amori indulsisse, quo factum est, ut plurima sodalium nomina non inscite quidem, atque, ut addis, gratiae videlicet causa, scite admodum ac venuste ei operi illigarim; sed non eum quem oportebat, in appellandis ornandisque sodalibus delectum habuerim. Revocas me ad insignem Virgiliani exemplaris locum, quem exprimere adnisus sum, cui cum vel maxime inhaerere debuerim, ab eo Societatis studio abstractus longe recesserim. Virgilius enim in illa sua nobilissima et magnificentissima excursione *de laudibus Italiae* meros sine controversia principes appellat, reliquis omissis, quibus Roma abundabat, vel clarissimis viris. Idem, inquis, tibi faciendum erat, et tam prolixae enumerationi parcendum. Contractior fuisses, et Virgilium expressisses. Nec tibi editor suffragatur tuus allatis eorum auctorum exemplis, qui similiter atque tu in amicorum effusi laudes fuerunt ; eodem enim illi atque tu vitio laborant, eadem in culpa sunt, quam deprecari illorum auctoritate frustra editor conatur. Pergis ulterius, et similiter longam externorum enumerationem damnas. Hic quoque praetermittendi, inquis, erant inferioris notae scriptores; praecipui eligendi ac plane digni qui et nominarentur et laudarentur. Id quidem a me factum recte interpretaris, ut invidiam amoverem, sed subdis, haec aut amovenda silentio erat, aut temperanda consilio, iis tantum appellandis, quorum inveteratae famae ac nomini officere invidia non poterat. Quare concludis me et editorem meum eo abreptos esse, quo non studio veritatis sed Societatis ferebamur, ut multum de tot laudum cumulo detruendum esse videatur.

Quamquam me aliquo modo excusas, cum addis maluisse me in eam partem inclinare, quae gratiam adiunctam habet, quam in illam, quae odiosa est, incumbere; sed mihi ita dirigendum fuisse navigium, ut unum dum vitarem scopulum, in alterum, qui ex adverso erat, non impingerem. Haec tu multo liberius ac luculentius, quam in superioribus epistolis. Nunc mihi videris exspectare quid reponam, quid defendam. Non est cur exspectes nisi quod recepi, me pugnacem non futurum. Fecisse me contra artis praecepta, Societatis studio indulsisse nimium, errasse, peccasse inficiari non possum. Quid vis? quid quaeris amplius? Non opinor. Hoc habes a me, quod fere a plerisque ne adhibita quidem vi extorqueri potest. Vale, et more solito mihi Deiparam propitia.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

X. Laudas postremis tuis ad me datis ingenuitatem, sed miraris me nulla adductum ratione fecisse quod fecerim. Dicam equidem, carissime frater, et causam quae me potissimum impulit, sincere more meo atque aperte expromam ac patefaciam. In primis, ne quod ultro dedi, repetere videar, illud maneat, quae a te verissime obiecta sunt, defendi nullo modo posse, excusari fortasse. Hoc primum; deinde non tam lippus atque adeo caecus eram illa dum scriberem, ut me contra artis praecepta facere non viderem. Quid ergo, inquis, causae fuit, cur tu prudens ac sciens artis praecepta negligeres! Dicam equidem cur ita me gesserim, et fortasse aliqua venia dignus existimabor. Non ignoras profecto, quod nunc multo acrius experimur, quae in tempora et quam calamitosa infortunio nostro inciderimus, et vero scripta etiam mea offenderint. Undique circumsonabant maledicta, undique calumniae, quibus omni

ex parte impetebatur Societas. Quid facerem in tanta maledicendi calumniandique ac tam effronti licentia? Existimavi opportunum illi pro parte mea ea ratione occurrere, quae nihil periculi adiunctum haberet et vero etiam multo gravior esset ac probabilior. Obieci adversariis quod negari non poterat, quod non verbis sed re tenebatur, domesticam nimirum ac plane singularem scriptorum multitudinem, non quidem ex omni facultate collectam, quod fieri facile poterat, sed ex iis tantum artibus, quae meis affines essent. Hos autem scriptores eo numero excerpsi, qui aut mei doctores fuerant aut contubernales, aut amici aut certe de facie cogniti, quorum edita opera iam erant et vulgo probata. Ne vero nimis favere viderer domesticis, ut recte animadvertis, externis etiam plus quam ars pateretur, indulgendum fuit. Feci igitur, quod tu minus recte factum damnas; sed in eo quod feci aliqua videor excusatione dignandus. Neque vero in hoc ipso tam intemperans fui, ut aliqua temperantiae laude commendari non merear. Mihi crede, si voluissem, domesticum censum facile augere potuissem. Multos enim praetermisi, qui recensitis sodalibus poterant iure ac merito annumerari. Quid quaeris? In contentione pietatis et artis, vicit pietas; huic parere malui, quam illi obtemperare. Volui praeterea insigne exstare monumentum ac plane singulare ex una Societate, uno tempore, ex una Italia, in una propemodum facultate, ex qua coniicere de reliquis facile est, tot exstitisse viros doctrina atque eruditione commendatissimos, quod credibile vix esset, nisi singulorum, uno vel altero excepto, vulgata opera indicarentur. Habes, carissime frater, non facti defensionem, sed consilii rationem, quam si minime probas, non repugno, quin tua in sententia permaneas. Quamquam non dubito, quin tu mihi gravius fuisses succensurus, si te quoque appellassem. Appellassem autem, ut ea quam laudas ingenuitate utar, nisi valetudo tua obsti-

tisset; quae si egregios conatus tuos, quibus ad summa nitebaris, non intercepisset, certe is evasisses, qui ulla sine controversia locum inter meros principes fuisses habiturus. Vale, et me illi commenda, quam scis me maximopere cupere habere propitiam.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XI. Ab Electricorum opere, quod primum vulgatum est, exorsus, ordini serviens progrederis ad actiones et orationes, in quibus multo plura adnotasse te et notasse non dubito, quam postremae litterae tuae comprehendant. Hoc ego absentiae tuae et scribendi defatigationi tribuo, et rursus cogor desiderare praesentiam tuam. Nam etsi multa, dum illas scriberem et tecum communicarem, epistolis admonitus tuis correxerim, multo plura correxissem si te praesentem habuissem. Perpetua lectio et materia subiecta oculis multa sufficit ad reprehendendum, quae quam facile significari viva voce, tam difficulter scripto mandari possunt. Accipio interim quod das et parco labori in scribendo tuo. Scito tamen quo longiores epistolae tuae sunt, eo libentius a me legi; te enim audire et tecum loqui mihi videor; quo litterarum officio aliquo modo compensatur absentia tua et lenitur desiderium meum. In primis laudas stilum, et tibi videor multo propius ad Ciceronianam, quam ad Virgilianam imitationem accessisse. Argumentorum delectum probas; atque actionum praesertim esse huiusmodi affirmas, nihil ut potuerit accommodatius ad Ciceronianas in Verrem actiones exprimendas inveniri. Quod quidem omnino singulare existimas; nec tibi quemquam ais latinum oratorem occurrere, qui hoc in imitationis genere versatus fuerit. Longolium exstitisse, qui se ad simile dictionis genus exercuerit, sed definiri vix posse

utrum in vera an in ficta causa eloquentiae suae specimen ediderit. Contra vero susceptam a me causam cum veram agnoscis, tum hoc tempore necessariam affirmas, quae eloquentiam incitare maxime debuit; et, ut Cicero loquitur, oratorem ad dicendum vehementer inflammare. In orationibus vero placuit consilium, quo usus ea trita ac pervulgata argumenta omisi, quae merito suo probata non magnopere cuiusquam eloquentiam requirunt. Aggressus deinde ad censuram, in primis tribus actionibus et orationibus redundantiam quamdam notas quae reprimi et castigari omnino debuerit. Videris enim, inquis, nimis iuveniliter exultare et interdum etiam vehementius, quam res ferat, et Ciceronianae imitationis gravitas ac maiestas patiantur, incitari. In orationibus laudationes duae, quae sunt in demonstrativo genere, quiddam tuo iudicio habent, quod supra meritum et veritatem elatum esse videatur. Ignoscis tu quidem hoc mihi. Nam de principibus viris consultius est tacere, quam loqui, loqui autem sic ut modus in laudando adhibeatur, difficile admodum est. Fere enim effuse laudari volunt, qui adulantium turba circumsepti nonnisi ementitis aut certe exaggeratis aures laudibus assuefactas habent. Sed hoc prohibet, quin siquidem meriti sint, vere laudari possint et magnifice. Quod ad encyclopaediam nominatim attinet, quam mecum sentis esse contrahendam, eam interdum tibi videor adstringere, interdum laxare. Qui nimium, ut acute scribis et solerter observas, graeculorum nationem, quae nunc prope in immensum crevit, in me concitare universam formidarim, idcirco mihi minus consentientem fuisse, et orationem modo in hanc, modo in illam fluctuantis ritu partem deferri. Haec tu, quem non dubito, ut scripsi, multo plura inter legendum et animadvertisse et notasse, quae scripto mandare piguit. Hic vero non est cur me interroges, quid reponam, et sententiam meam sciscitaris, qui tecum sentio, et quid repo-

nam non habeo. Primae illae cum actiones, tum orationes, quas merita censura afficis, effervescente iuventute et eo tempore scriptae sunt, quo me ad Tullianam institui imitationem exercere, quarum tametsi redundantiam coercuerim, ita tamen stilo depascenda luxuries fuit, ut aliquid reliqui fieret, ne omnino nullae evaderent; praesertim cum summam illis habere gratiam debuerim, quae effecerunt, ut auderem, et, ut *audentes fortuna iuvat,* aliquid etiam si non *perfectum ingenio, atque elaboratum industria,* saltem non omnino inelegans et indisertum expromerem. De laudationibus tibi prorsus assentior, sed tamen si primam earum editionem cum posteriore contuleris, videbis me amputasse multa, quibus praecisis meliores et veriores evaserunt. Quamquam, ut aequum est, vellem has ad tempus, quo pronunciatae fuerunt, revocares, cuius ratio haberi debet. Ut enim tempora, sic hominum commutantur mores, ut alii alio tempore laudandi sint, alio vituperandi. Postremo quod de encyclopaedia scribis, vere a te scribitur. Potentem enim, cum prima illa oratio de superiore loco pronunciata a me fuit, potentem adversarium habui, qui pro concione ea, quae pridie dixeram, postridie refutare me praesente non dubitavit, cui cum libenter ignovi, tum irritandum non putavi. Vale, et me, ut facis, Deiparae commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XII. Ex omnibus actionibus meis, quas te attente legisse confirmas, duae reliquis eminere, ut scribis, tibi visae sunt; quarum altera est de Actis SS. Martyrum, altera de Alma Domo Lauretana. Atque hanc quidem mirifice laudas ac probas, pro tuo, ut opinor, singulari atque eximio in Deiparam studio. Ego vero libenter accipio iudicium

tuum, nec laudes possum repudiare. Hanc enim actionem cum lego, si mihi omnino non placeo, prorsus certe non displiceo. Laetor etiam vehementerque gaudeo quod hanc causam defendendam susceperim, ut si Tullius *pro domo sua* luculenter et diserte scripsit, ego quoque si minus diserte, non omnino indiserte scripserim *pro domo mea*. Dico mea, nam quod matris est, iure possessionis ad filios etiam arbitror pertinere. Atque ut huius orationis originem et totam rationem explicem, sic habeto. Cum primum ad Lauretanam Domum accessi, tam venerandi loci sanctitate vehementer commotus fui, vix ut credere potuerim aut exstitisse aut existere posse, qui tantam religionem attentare et vero etiam convellere auderet. Quare iam ab eo tempore illud animo penitus insedit meo, ut si qua daretur occasio, Lauretanae Domus causam susciperem, atque hanc tanquam a Deipara oblatam mihi elabi non paterer. Et vero oblata fuit. Nam cum Florentiae ad Tullianarum actionum imitationem me exercerem, illudque dicendi genus cum grave et vehemens, tum fusum ac copiosum toto animi ingeniique mei nisu conarer exprimere, causa haec huiusmodi visa est, quae illi exercitationi omnium maxime esset accommodata. Causa erat gravis et locuples, quae ubertate sua et copia amplam ad dicendum materiam sufficeret. Accedebat qualecumque meum in Deiparam studium, quod incitare oratorem vehementius debebat, ut in uberrimo argumento si minus diserte, saltem non exiliter omnino ac ieiune versaretur. Itaque magno animo ad argumentum aggressus sum, me totum in illud conieci, et quoad adniti potui, copiose luculenterque tractavi. Effudi more meo, quae subitus impetus et inflammata vis animi suppeditabant, quae postea cum legerem huiusmodi visa sunt, quae si fuissent retractata et per otium perpolita, inde aliquid non prorsus in eo imitationis genere, quod mihi proposueram, contemnendum posset emergere. Seposita tum oratio

fuit, dum ardor ille defervesceret, qui plerumque rectum de propriis scriptis pervertere iudicium solet. Seposita autem plures annos inter adversaria iacuit, iuxta salutare Horatii praescriptum *Nonumque prematur in annum.* Post annos bene multos, sic ut eius memoria propemodum fuerit obliterata, inter adversaria repertam in manus sumpsi, attente legi et, vere ut dicam, miratus sum me tantum effecisse, quantum efficere me potuisse vix crederem. Itaque illam per otium limavi ac perpolivi, et publici iuris feci, ut esset specimen reliquarum orationum, quas vulgare cogitabam. Res prospere ac feliciter cessit; excepta cum plausu et approbatione fuit, de eaque honorificentissimum editum Florentiae iudicium, quo dicebar non mediocriter ad Tullianum exemplar accessisse. Quid quaeris? mihi hinc animus additus incredibiliterque sum incitatus ad reliquas actiones diligenter pertractandas perficiendasque, qua adhibita diligentia effectum est, ut aliae prorsus ac scriptae et pronunciatae fuerant, evaderent, omnesque ad huius ipsius, de qua dico, actionis similitudinem fingerentur; sic ut uno prope partu editae ac geminae iudicari possint, si non pauca excipias, quae praepropera edendi propter imminens infortunium festinatio emendare, et iuvenili luxuria redundantia compescere ac depasci non sivit. Haec ad te familiarius scribo, non tam ut totam huius actionis et reliquarum rationem perspectam habeas, quam ut intelligas, quo potissimum ex fonte mea haec sive dives sive pauper oratoria vena profluxerit, ex eo nimirum qui inexhaustus omnibus patet, et unde omnia secundum Deum in omni genere bona iugi in nos et benefica derivatione dimanant. Reliquum est, ut te more solito rogem, ne me Deiparae commendare intermittas. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XIII. Quandoquidem superiore epistola totam orationis meae pro Domo Lauretana rationem tibi pro nostra familiaritate cognitam esse volui, causamque docui, quae me potissimum ad hoc argumentum impulerit, nunc eadem usus familiaritate inter fratres concessa, aliam adiiciam, quae cum domestica sit, eam nosse non tam fore tibi pergratum arbitror, quam causam ipsam confido esse a te mirifice probandam. Non te latet, singulare studium erga Lauretanam Domum avi nostri Ioannis Baptistae commemorabili pietate ac religione viri. Recordaris, opinor, eius effigiem sic esse expressam ut una manu precarios Marianos globulos teneat, altera Deiparae Lauretanae imaginem praeferat. In elogio autem sic legi scriptum, *cuius sanctuarium, dum vixit, septuagies septies visitavit*. Et vero singularis studii singulare documentum, si regionum distantiam metiaris; ducentis enim fere passuum millibus Cremona Laureto distat. Quare non est mirandum si Lauretanae domus *Procurator Generalis* fuerit constitutus, quod honoris genus admodum insigne, non nisi eius sanctissimae Aedis apprime studiosis, de eaque optime meritis deferebatur. Iam vero quid aequius a me, quid avitae pietati consentaneum magis fieri poterat, quam tanti viri memoriam quodammodo revocare, et eius Domus patrocinium defensionemque suscipere, cuius, cum viveret, fuerat ei procuratio demandata? Haec me ratio vehementer movit, et domesticum mihi proponens exemplum pati nolui illud incassum ab avo nepotibus fuisse relictum. Qui domesticis non afficiatur, externis, credo, commovebitur? Non dubito, quod initio dixi, quin consilium meum probaturus sis, et hoc ipsum nosse tibi gratum fore perque iucundum. Restat, quantum in nobis situm est, ut avita in

Deiparam Virginem pietas in familia permaneat, et in omnem posteritatem propagetur. Vale, et me, ut facis, Deiparae Virgini etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XIV. Redis ad orationem pro Domo Lauretana, et facta contentione inter primam et secundam editionem haeres anceps animique dubius, utram praeferendam existimes. Prima satis locuples est, altera multo copiosior et locupletior. Sed hoc ipsum reprehendis et me ad Horatianum illud revocas: ***Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*** Multa tibi videntur nimis maxime in amplificationibus inculcata, nonnulla repetita, et eorum, quae obiici poterant, aut obiecta fuerant, plusquam merebantur, et ars patiebatur, habita ratio. Haec tu quidem acute et solerter. In his si dicam mihi tecum convenire, dicam id, quod ego quoque sentio, ut plane statuere nesciam, quam de duabus orationibus magis probem. In secunda, fateor, me incensissimum quoddam studium defendendae, quam susceperam, causae corripuit, et fortasse transversum egit et verbosiorem effecit. Huic porro studio quam difficile sit moderari, experti norunt. Calente animo quidquid occurrit, accipitur, probatur, et causae servire mirabiliter putatur. Sed non raro contra accidit. Multa oratori negligenda sunt, multa praetermittenda, quae copia ipsa fere efficiunt, ut causam ipsam minus probabilem reddant. Plurimo in hoc opus est artificio, quod qui probe novit, is demum perfectus orator et disertus habetur. Hoc adhibito, causae obtinentur; neglecto, plerumque amittuntur. Ubi plura quam par est aggeruntur, fere non pauca adversario suggeruntur, quae captet ad reprehendendum, de

quibus fortasse non cogitasset. Quid dicam, carissime frater? me censura tua eo compellis, unde, qua me possim extricare via, prorsus ignorem. Illud ego quoque teneo, illud praecipere consuevi, *modum esse in omnibus adhibendum, videndum quatenus,* et in quaque re *ne quid nimis*. Sed haec quam facilia praecipienti, tam difficillima experienti. Colores in picturis sic temperare, ut ne aut nimis obsoleti aut nimium fucati sint, Apelles illi demum ac Timantes noverint. Certe quidquid est aut auctum nimis aut nimis extenuatum, ars et natura respuunt. Quare in re difficillima illud reliqui fit, conari quantum possis, et quod non possis sincere atque aperte confiteri. Vale, et me Deiparae Virgini commendare ne desinito.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XV. Pergis me censura tua perstringere, mihique videris de industria captare quae nullo modo possim defendere ac refutare. Sed in hoc mihi places, quamquam in contentione ingenii molestum est coactum esse succumbere. Actiones et Orationes complexus probas quidem stilum, Ciceronianum agnoscis, sed notas nimis esse fusum ac profluentem; multa generatim ut in vitibus, quae se palmitibus suis nimis effundunt atque profundunt luxuriantes sine modo, affirmas fuisse amputanda et oratoria falce depascenda. Quid dicam, carissime frater? censurae aculeum sentio, quae recta est, et quid reponam non habeo. Amo tamen in hoc ipso amorem tuum quo me velles ad summam excellentiam evasisse. Non diffiteor equidem multo a me plus effici potuisse, quam re ipsa effectum fuit, si per tempus licuisset. Quod in tempus operum meorum editio inciderit, separata ad te epistola iam scripsi. Non ea repeto, quae vere a me dicta esse arbitror; tan-

tum dico, festinandum, properandum fuisse, editionem praecipitandam. At, inquis, omnia ante praevisa esse debebant, omnia limata ac perpolita quam impressionem aggredereris. Ita sane. Sed quid facias homini multo aliter atquae ceteri ingenio ac natura comparato, qui in impressione ipsa opus elaboret et perficiat suum? Impressio nitens atque pellucens mirum quantum ad absolutionem operis perfectionemque conducat. Ea facit, ut quidquid est vitii sive in re sit sive in verbis, statim appareat. Siqua verba sunt absona, siqua non loco posita, siqua perperam usurpata, oculos statim feriunt, atque percutiunt. Idem prorsus evenit atque in fonte illimi, ut qui iacent in fundo minimi quique scrupuli cernantur. Quod vero ad rem attinet, in perpetua lectione eaque perspicua, nec crebris turpata lituris, ut oculus nusquam haereat, nusquam offendat, multo facilius agnoscitur an quae dicuntur cohaereant inter se, an alia ex aliis apta consecutione descendant. Mihi certe impressio instar speculi semper fuit, quod naevum omnem in facie notat, et si qui aberret capillus indicat. Quare cum typographo pacta maiori pro labore mercede sic transigo, ut arbitratu meo mutet, addat, demat, et omnia, si res poscat, susque deque invertat, nec cesset donec mihi plane satisfaciam. Haec, uti vides, et tempus et otium et animum ab omni cura vacuum, et quode agitur uni intentum, requirunt. Quibus ego adiumentis destitutus, nec mihi plane satisfacere potui, nec vero est cur mirer si tibi minime satisfaciam. Multa relinqui oportuit, quae mihi non probabantur; multa censuram effugerunt, quam certe non evasissent. Haec sunt, uti exposui, quae sic accipies ut tibi videbitur. Haec autem, quae a te obiecta sunt et a quovis alio aeque ingenioso ac solerti obiici poterunt, non obstiterunt, quominus orationem edendam curarem. Si minus artis et eloquentiae, referta certe est studii et pietatis in divinam Ma-

trem, cuius mihi praecipue gratiam et patrocinium conciliare volui. Quare levi in membrana impressam et scutulis laminisque argenteis inauratis ornatam religionis causa Lauretum misi, et inter cetera donaria, quae eo toto ex orbe catholico deferuntur, collocandam curavi, perpetuum ut sit mei erga Deiparam Virginem studii ac pietatis testimonium et monumentum. Valetudinem tuam cura diligenter, quam in dies fieri deteriorem audio, et me Deiparae commendare ne omittito.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XVI. Quod primum in Actionum, et Orationum mearum censura a te reprehendendum prioribus epistolis putaram, recte tu quidem posteriori reservasti. Quae enim potiora sunt artis, ea primo loco notare voluisti; tum quae minus praecipua reprehendere. Quamvis enim verba sententias natura praecedant, et eloquentia e verbis efflorescat, in oratore tamen maior artificii, quam verborum habenda ratio est. Scribis igitur inter legendum nonnulla offendisse, quae tibi contra grammaticos canones peccata esse videantur. Hoc autem te mirari magis, quod cum Hieronymo Lagomarsino, grammaticorum aetatis nostrae facile principe, familiariter usus fuerim, ex quotidiana tanti viri consuetudine non tantum profecerim, quantum et potuerim et debuerim. Haec tu quidem modeste et verecunde more tuo, sed tamen aliquanto acrius. Videris enim existimare maiorem quamdam turpitudinis notam inesse in hoc peccatorum genere, quam in reliquis quae contra praecepta artis admittuntur. Fatebor equidem ingenue, carissime atque optatissime frater, atque hoc quod reprehendis non solum non inficiabor, sed apertam etiam edere confessionem non dubito. *Liceat*, inquit Tullius, *semel impune*

peccare; sit peccati medicina confessio (ad Fam. lib. 8 ep. 8.). Ego vero cum non semel, sed saepe fortasse peccarim, nolo mihi impune esse; volo corrigi, volo reprehendi, atque etiam, vide quo progrediar, vapulare. Sed extra iocum. Paulo fusius totam hic tibi explicabo rationem, qua grammaticis in studiis usus sum. Laudo in primis castigatam dictionem, quae ad artis praescripta non diligenter solum, sed etiam religiose exacta sit. Hac laude unus maxime excellit Cicero, quo in viro sic conformatam ad grammaticas praeceptiones dictionem miramur, ut iudicari non possit, utrum ipse arti paruerit, an una cum eo ars ipsa nata, adulta, atque ad summum provecta fuerit. Nosti quantum aestuaverit, cum vocabulum *inhibere* aliter atque in re nautica soleat, a se usurpatum animadvertit. Non inhibere se potuit, quin statim ad Atticum scriberet, ut quod perperam scripserat, emendaretur. Haec tanta religio maxime decuit latinae linguae opificem et Romanae eloquentiae parentem. Laudo igitur qui tanti viri exemplo eandem sibi in scribendo diligentiam adhibendam putant. Unus hac diligentia facile vicit omnes Maffeius noster, unus omnino a priscis scriptoribus, qui aureo saeculo floruerunt, castigatissimus et politissimus. Quid ergo est, inquis, cur tu quod in aliis laudas, negligere videaris atque contemnere? Dicam et ingenue more meo dicam. Fateor me diu multumque pervolutasse Tullium, in eiusque lectione fuisse assiduum. Hoc necessarium omnino erat, ut aliquid aliqua laude dignum possem efficere. In hac porro non intermissa Ciceronis lectione illud unum propositum habui, ut eius eloquentiae quasi formam animo comprehenderem, eius dicendi vim, maiestatem, copiam penitus combiberem. In id solum tota mente et cogitatione intentus multa, quae ad castigatam dictionem in eo animadverti poterant, fere praeterii; si quid sponte inter legendum haesit, hoc lucro apposui; ut haereret, nullam

unquam diligentiam adhibui. Nolui enim animi mei alio, quam quo praecipue spectabam, nisum contentionemque conferre. Verebar etiam, quod nonnulli factitant, si multa ex Cicerone memoriae mandassem, aut in adversaria transtulissem (quamquam hoc a me articulis laborante nonnisi aegerrime fieri poterat) verebar, inquam, ne Ciceronianae ipsae inter scribendum iisdem pene verbis sententiae occurrerent, ut non alio, quam quo elatae a Cicerone fuerant, a me efferrentur modo; quod est vitium in scribendo maximum, et iure in quodam magnae ceteroquin famae, cuius nomini parco, scriptore reprehenditur. Ita me porro ut dixi gessisse non est cur poeniteat. Fore enim persuasum habebam, quod verissimum est, ut si omnia, quibus affatim abundat Tullius, complecti voluissem, nihil, quod evenire solet, tenuissem. Itaque inde effectum puto, ut aliquam in dicendo vim et copiam sim assecutus, quae in Actionibus praesertim meis, si non eminet, saltem non ita abdita est atque depressa, ut aliquo modo non exstet. His accessit, quod pedicarum impatiens mihi libere incedendum existimavi, etiam si viderem id fieri non posse quin laberer interdum, et obiectis offendiculis ad terram prosternerer. In hoc, fateor, amicorum ope, quibus summas habeo gratias, et praesertim Hieronymi Lagomarsini adiutus sum, qui porrecta amice dextra, quantum ei per maximas occupationes licuit, me saepe a terra sublevavit. Verum cum mihi neque hic, neque illi praesto semper esse possent, eorum destitutus officio vitavi, quae potui, offendicula; si minus, in ea incurri et lapsus sum. Vituperationem vero, quae inde consequitur, vitandam quidem si possis; si nequeas, non adeo religioni ducendam existimavi, perinde quasi quod in re grammatica peccatum est, contra officium peccatum sit, cuius praescriptis quam nunquam non parendum, tam grammaticis praeceptionibus eatenus obtemperandum, quatenus possis, et tua te admo-

neat diligentia. Memini me iam inde a pueritia, puerilem enim me repetere memoriam valde delectat, sive id negligentia mea acciderit, sive ingenio sua sponte a tricis abhorrente, tantum grammaticis regulis invitum dedisse operam, quantum coacto necesse fuit. Itaque cum ad Heroum illorum culmen, quorum tu quoque meminisse debes, tantum gradus pateret iis, qui dictata decem aut paulo plus sine soloecismis confecissent, recordor me in tertio quartove gradu labi fuisse solitum, ut ad editissimum illud fastigium aspirarim quidem, sed nunquam pervenerim. Heroas tum illos mirabar quam maxime et suspiciebam, sed eos facile, cum ad Rhetorem ventum est, perculi infraque deieci, ut qui in Grammatica schola tantopere eminebant, iidem ad Rhetoricae gymnasium traducti iacerent depressi in infimis, atque in turba delitescerent. Hunc morem, hoc ingenium retinui semper; et si id vitium est, nunquam correxi atque emendavi. Doctorem, cum ad S. Andreae humanioribus litteris operam darem, egregium plane nactus sum, Carolum Rotum, qui totus in eo erat, ut *apis matinae more modoque* exquisitiorem succum ex veterum scriptorum verbis et sententiis, tanquam e floribus, singulis insidens diuque immorans eliceret; minutus in observando, diligens in colligendo, nihil ut ipsius aciem effugeret, nihil ut diligentiam praeteriret, quod eius patavinis nitidissimis typis impressae orationes declarant; tenui illae quidem filo contextae, sed acu pictae quodammodo et mira omnium elegantiarum varietate distinctae, ut ad Isocrateam eloquendi rationem quam maxime accedant. Hoc ego usus doctore admirabar illum quidem, sed nequaquam me ad eius institutionem moremque conformari patiebar. Id recte ne, an secus fecerim, non definio. Sed illud animo insedit meo duas res a me, quas maxime disiunctas putabam, copulari non posse, ut eloquentiae copiam ubertatemque cum exilium tenuitate animadversionum coniungerem. Exsuccam atque

exsanguem futuram orationem meam arbitrabar, si illi me studio dedissem, quod cum per se molestum est, tum ingenium torquet et copiam exhaurit, ut siqua est eloquii vena, haec incidi necessario debeat ac prorsus exarescere. Alii alio modo affecti sunt; alii aliter sentiunt; ego nemini succenseo, sed naturam, quam quisque suam nosse debet, sequi ducem praestat, nec quidquam ea invita ac repugnante conari. Quod autem addidisti mirari te, cum Hieronymo Lagomarsino tam familiariter usus fuerim, ex quotidiana tanti viri consuetudine non tantum profecisse me, quantum debuerim; iustam fateor mirandi esse causam, et multo esse iustiorem eum, ut facis, tam honorifice appellandi. Nemo enim in re grammatica illo doctior aetate nostra exstitit, atque haud scio an unquam alius exstiterit, aut sit exstiturus in posterum. Nemo acrior in animadvertendo, nemo in ferenda sententia certior, nemo verior in diiudicandis litibus, quae crebrae inter grammaticos, aliis aliud opinantibus, excitantur. Itaque ad eum his de rebus ex tota Italia, ac pene Europa referebatur, tanquam ad oraculum, et responsa non dubia atque ambigua, sed certa atque explorata auferebantur. Haec porro, quod magis mirere causa fuit, cur contra atque esse debuit, hoc in genere minus profecerim, tanta opportunitate non usus, sed abusus. Nam oraculum domi cum haberem, nec mihi aut pergendum Delphos aut Dodona adeunda esset, fiebat ut de quibus dubitarem inquirendi gravi sane sed necessario subeunda, si intimam linguae intelligentiam assequi velis, molestia liberarer. Quae enim per nos inquirimus, et altius memoriae haerent et certius addiscuntur. Hoc autem oraculum, cum ipsius maxime responsis in ipsa operum editione indigui, me prorsus defecit. Eius enim occupationes (tam multa postremo vitae suae tempore complexus est) eo usque creverunt, ut vix ac ne vix quidem adiri et peti respon-

sa possent. Itaque tali ac tanto destitutus adiumento coactus sum per memet efficere quod potui, et eam scientiam, quam semper contempsi, desiderare. Haec habui, quae epistolae tuae rescriberem, non quo me tibi excusarem, sed potius, uti vides, accusarem. Vale, et me Deiparae valde commenda. Hoc ego quidem maiorem in modum a te posco atque efflagito, ut enixius poscere atque efflagitare non possim. Iterum iterumque vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XVII. Commentarios te legisse meos, ne ullum ex editis operibus meis praetermitteres, proxima epistola significasti, et quod mihi gratius accidit neque hos aliqua sine censura abire passus es. Laudas officium, laudas pietatem, quae in omnibus elucet, probas stili nitorem, atque elegantiam, nec satis definire potes utrum ad Ciceronis an ad Cornelii Nepotis similitudinem scripti sint. Argumenta tibi videntur exilia, sed quae praefixo titulo respondeant. Recte enim animadvertis me non ad historiam aggressum esse scribendam, sed quae commentariorum indoles est, nonnulla de amicis simpliciter ac breviter et sine ornamentis memoriae suscepisse mandanda. Argumenta porro non tam a me fuisse delecta, quam ab ipso officio oblata, in quibus pro eorum modo elaborarem; quod ipsa lectio per se satis aperte declarat. Verum tamen nimiam quamdam indulgentiam et amoris quasi redundantiam in eorumdem tractatione reprehendis. Haec enim cum in omnibus commentariis apparet, tum maxime se prodit in nostrae matris optimae feminae commentariolo. Hoc primum tibi videtur a veritate quidem, sed magis ab amore profectum; deinde nimis elaboratum et de industria quaesita quaedam et captata, quibus copiosius fieret, et uberius evaderet. Hoc

autem ostendit crebra prolepsis, quae lectoribus illa ipsa, quae nolles, obiicientibus occurrat. Quo rhetorico artificio bene utimur, cum necessitas adigit; sed consultius illa vitamus, quae nobis obiicienda non aliqua sine reprehensione pervidemus. Haec antevertere et cavere satius et tutius fuit, quibus frequens occupatio non satis occurrit. Hic quoque quid ego dicam? Nollem ab ingenio meo aperto ac simplici recedere. Nollem nostram hanc epistolis internunciis collocutionem, quae una nobis concessa est, magis ad defensionem meam, quam ad doctrinam, ut ab initio professus sum, institutam videri. Si negem me eximio amore communem parentem prosecutum esse, mendax sim; si me inter scribendum amori indulsisse audeam inficiari, ipso commentario meo refellar. Quid igitur reponam, nisi me in scribendo secutum esse pietatem, nec recusasse, quin appareret? Quae de matre scripsi, mihi vere scripsisse conscius sum. Ea enim fuit, ut nosti, quam nos propter eximias singularesque virtutes matrem fuisse nactos iure gloriari ac merito possimus. Quare si quid est, quod in hoc meo scripto vitiosum sit, totum in illo adverbio *nimis* delitescit. Verum cum de pietate agitur, vix illi adverbio arbitror esse locum. Quamquam hoc de commentariolo, neque ego, neque tu iudices idonei esse possumus, quod quidem tu illam aeque atque ego summopere dilexeris. Iudicium igitur lectoribus relinquatur, qui si cetera reprehendent, pietatem certe laudabunt. Vale, et me Deiparae omnium matri longe carissimae atque amantissimae, quae nunquam satis nec laudari nec amari potest, etiam atque etiam commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XVIII. Minime tu quidem, sed alii quidam in familiari sermone, nonnulla obiecerunt, quae refellere familiariter item aggressus, nescio an iis, a quibus fuerunt obiecta, probarim. Haec porro tecum communicare, ne quidquam quod ad hanc quam instituimus censuram pertineat, ignores. Eorum autem, quae obiecta sunt, genus est huiusmodi quod ut facile refelli potest, ita difficulter admodum atque aegre persuadetur, iis praesertim, qui aliter atque nos sunt comparati. Multa enim a multis non ratione, sed affectione penduntur, quae cum per se varia sit, ita diversas et saepe contrarias in partes animus noster agitur atque distrahitur. Tu vero, cuius mihi certa et constans animi habitudo iampridem satis cognita est atque perspecta, nequaquam transversum abduci te sines de rectitudine sententiae, et quae scribam in partem accipies quam ratio suadebit et pietas iam per te incumbentem inclinabit. Iam ut ad istorum censuram veniamus exstiterunt quidam, qui ipsam nominis indicationem non satis probarunt. Atque hi quidem voluissent a communi consuetudine ne recessissem. Primum, quandoquidem latine scribo et quantum eniti ingenio possum ad veterum latinorum scribendi morem imitatione conor accedere, si in hoc eos, qui praenomine, nomine et cognomine utebantur, fuissem imitatus, non video quid iure possit reprehendi. Id a multis doctissimorum virorum, qui felici illo saeculo, quo litterae ab interitu sunt vindicatae et in pristinam dignitatem restitutae, floruerunt, factitatum est, ut aut latina nomina sibi adsciscerent, aut propria latinorum more inflecterent, aut ab ipsa etiam Graecia arcessenda existimarent. Huius rei plura suppetere exempla quilibet vel mediocriter eruditus non ignorat. Verum ut de me dicam, hunc ego morem non ideo secutus sum,

quo mihi aliquam litteraturae existimationem hac ratione conciliarem. Non enim usque eo desipui, ut ista ratione ad famam mihi enitendum arbitrarer, qui illos ipsos viros non ea de causa, quod sibi nomina sive a Latio, sive a Graecia fuerint mutuati, sed ob excellentem sapientiam suspexi. Quae igitur, inquis, te causa movit, cur illos hac in re imitarere? Dicam equidem. Unam hac in re pietatem secutus sum, unam religionem propositam habui, quae vel ipso usurpando nomine declararetur. Exemplo illustri mihi praeivit Ambrosius Catharinus vir e sacro Praedicatorum Ordine doctissimus, qui pro suo erga sanctam Catharinam Senensem studio *Catharinus* voluit appellari. Quod iste tantus vir et tam magni nominis fecit, cur non mihi similiter citra omnem censuram faciendum existimarem? Et vero feci, et sciens et prudens feci, et me fecisse gaudeo, eodem quo ille pio adductus studio. Atque id a me fieri facile admodum fuit. *Ioseph Maria* appellor. Primum nomen in *us* iam recepta terminatione desinere volui, alterum sic inflexi ut *Maria Marianus* existeret. Mollissima inflexio, uti vides, neque detorta, neque extorta, sed nulla adhibita vi eo adducta, quo sua sponte sequebatur. Hoc, opinor, probabis, et mecum senties, qui te a me *Ioannem Marianum* appellari et probas et placet. Parthenium addidi e graeco depromptum, quod *Virginalem* sonat, et bene Deiparae convenit, quae singulari exemplo Virginitatem partu divino non amisit, sed consecravit. Haec me ratio una movit, una impulit, una persuasit, quae certe reprehendi non potest, ratio plena pietatis, plena religionis, addo etiam plena grati et memoris erga Deiparam Virginem animi, cui omnia me debere profiteor. Rectius fortasse ad latinorum morem si *Parthenium* Mariano praeposuissem, sed quandoquidem sic inscribere institui, ut *Marianum Parthenio* anteponerem, ab instituto recedere nolui. Vale, et me Deiparae commenda, cui po-

tissimum probari volo, a qua si prober, eius certe divino filio probabor.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XIX. Quod fere accidere solet, ut alia ex alia emergat censura, et qui semel animum ad reprehendendum induxerunt, nunquam reprehendendi finem faciant, hoc mihi usuvenit. Ego sane ut priorem, de qua scripsi, sic consequentes censuras neglexi, non quia ab ingenio meo recesserim, sed quia neque iustas, neque probabiles iudicavi, in quibus nihil esset, cuius rationem habendam existimares, praeter oblatam opportunitatem de quaque re obiecta, quae velles, quaeque sentires, libere aperteque scribendi. Atque hi quidem exorsi a nominis appellatione ad operum ipsorum nuncupationem progressi sunt, quam non satis probant; non quia illam minus piam ac religiosam putent, sed quia tantam religionem in ipso aditu operum atque vestibulo habere locum minime existiment. Itaque his tantum abest, ut hoc minus recte factum concedam, ut hoc ipsum nunc aggrediar tueri atque defendere. Nam quid est, quod afferri possit, quam ob rem religio nulla non in re, nullo non in argumento, nullo non tempore locum habere debeat et vero principem obtinere? Notum est illud ac pervulgatum ethnicorum *ab Iove principium;* quo docemur nihil non a superis ordiendum esse, quibus propitiatis reliqua feliciter atque e sententia consequantur. Hinc illa apud Ciceronem exordia magnifica sane ac splendida: *Quod a Deo optimo maximo precatus sum* et *Vellem Dii immortales fecissent*, et alia horum similia. Plinius vero in celebri illa sua Traiani imperatoris laudatione hoc ipsum multo luculentius illis verbis expressit; *Bene ac sapienter maiores nostri instituerunt, ut rerum agendarum, ita di-*

cendi initium a precationibus capere, nihilque homines rite sine Deorum immortalium munere auspicari posse, et quae sequuntur. Ethnici igitur a Diis immortalibus et ab Iove exordiri non dubitarunt, immo vero id esse faciendum constituerunt; nos Christiani sanctissimis legibus instituti a Deo, ac Deipara, Sanctisque exordia capere nostra dubitabimus? Nullam illi nimiae religionis notam subire, cum ita se gererent, existimarunt; nos contra prope superstitiosi habebimur, si reiectis inanibus inanium Deorum vocabulis Deiparae Sanctorumque nomina suffecerimus? Quemadmodum igitur vel ethnici veteres scriptores a religione exordiendum, ab eaque capiendum auspicium censuerunt; ita ego opera mea multo potiori ratione a religione sum auspicatus. Auspicium autem operum ab ipsa nuncupatione ducendum putavi. Quamquam in hoc non tam mea pietas ac religio valuit, quam ab initio prae me ferre volui, quam illustria maiorum nostrorum ac luculenta exempla commorunt, qui in fronte editorum ab se operum Sanctorum Ignatii, Francisci Xaverii, Aloisii, Stanislai inscripta nomina et vero etiam praefixas esse imagines voluerunt. Dicam quod sentio, et tibi mirifice me probaturum certo scio. In nostri ordinis alumno nullam non amo litteraturam, sed eam in qua et pietas eluceat et emineat religio. Hoc ego discrimen inter socios Londinenses, Cantabrigienses, Gebennenses, et Societatis Iesu constituo et esse volo, ut hac quasi nota et charactere a reliquis huiusmodi sodalitatibus discriminentur. Nam quid pietas, quid religio obfuit maioribus nostris doctissimis viris, quo minus litteratissimi aetatis quique suae haberentur et praedicarentur? Immo vero cum ad cetera ingenii et doctrinae praeclarissima ornamenta commendatio pietatis ac religionis accesserit, mirum quantum illa ipsa ornamenta aucta fuerint et cumulata. Ego ita sentio et recte me sentire arbitror, ut qui aliter sentiant, ea sodalitate, quae indi-

cari nisi appellato nomine Iesu non potest, indigni propemodum esse videantur. Vale, et me Deiparae Virgini commendato.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XX. Duo, Mariane frater, prioribus epistolis obiecta sunt ac reprehensa; alterum quod nimiam quamdam et in appellatione nominis et nuncupatione operum prae me ferre religionem visus sim, cui mihi videor satisfecisse; alterum quod in editione receptae consuetudini minime serviendum putarim. Iam quod ad consuetudinem attinet, bene multi amico sane animo ac perbenevolo mihi auctores fuerunt, ut volumina mea alicui principi viro nuncuparem, unde iis patrocinium quaererem, aliqua operibus meis commendatio accederet, et subsidium mihi aliquod compararem ad impensas editionis homini privato vix sustinendas necessarium. Atque horum quidem amavi voluntatem, sed consilium amplecti nolui. Praeclarum enim vero consilium, quod multos iam fefellit, et multo plures, nisi mea me fallit opinio, fallet in posterum. Principes scilicet viri nunc ista curant, et quid a nobis sive scribatur, sive edatur, laborant. Quam porro commendationem, quod patrocinium afferre nobis isti possint, ego sane non video. Male profecto illi auctori, qui operi suo sive commendationem sive patrocinium ista ratione conciliare studet. Opus ipsum sibi commendationem faciat necesse est, auctor ipse sibi patrocinetur oportet. Quae magnifica in fronte scripta sunt nomina idonei lectores non curant; nec vero auctorem, quod principis viri nomen obiectum sit, inter principes recensendum auctores putant. Nam quod ad pecuniae subsidium attinet, ne si isti quidem velint, suppedi-

tandi facultatem habent. Equorum numerus, rhedarum splendor, famulorum turba, convivia, theatra, rusticationes, luxus, aleae, aliaque huiusmodi sexcenta, quae recensere non valeas, opulentiorum crumenas exhauriunt, nihil ut reliqui fiat in huiusmodi sumptus impendendum. At enim, hi quidem, recepto vocabulo, *Maecenates* appellantur. Audio, sed quare sic appellentur, ego certe non assequor. Unus exstitit Maecenas veterum scriptorum praeconiis laudibusque propter effusam in litteratos viros munificentiam celebratus; sed hic iam pridem vivere desiit, nec ullam, quod sciam, ex se progeniem reliquit. Illi vero, qui nunc vulgo Maecenates dicuntur, quid habent simile cum illo sive voluntate in litteratos viros, sive liberalitate? Nomen hoc, quod nomen liberalitatis et patrocinii in litteras earumque studiosos habetur, multis affingitur; sed nomen sine re quid tandem prodesse miseris auctoribus potest? Novi hominem doctissimum mihique familiarissimum, qui non unum Maecenatem, sed plures Maecenates, et vero integrum Maecenatum Collegium sibi quaesivit, ut si quique, veluti in symbolam, unum tantum nummum contulissent, summa non contemnenda in typorum sumptum confici potuisset. Sed summa ea demum evasit, ut una epistola verbis quidem amplissimis, sed inanibus conscripta, illa prope infinita Maecenatum turba facile se expediverit, ab omnique impensa liberarit. Hoc edoctus exemplo, in opinione mea multo quam antea vehementius confirmatus sum. Quo loco non praeteribo, quod mihi, Tibure cum essem, evenit. Lepida res est et valde festiva, et porro digna, quae commemoretur. Qui non ignorabam Maecenatem, de quo dixi, villam in Tiburtino longe magnificentissimam habuisse, eius visendae cupidus, viam, quae me quo volebam recta et sine errore perduceret a quibusdam hominibus rusticanis illis quidem, sed quos solos obvios habui, sum percunctatus. Tanti viri monumen-

tum, etsi vetustate confectum, mihi tamen omnino cognoscendum existimavi, nec committendum me Tibure fuisse dici posse, et Maecenatis villam tamquam indignam, quae adiretur, et qualiscumque esset viseretur, neglexisse. Callem mihi, dato indicio, demonstratum ingressus, et non ad longum spatium progressus, quid censes? ad molam, qua frumentum teritur, inexspectato sane et praeter omnem opinionem deveni. Enim vero ut veni, et me non dolo quidem malo deceptum sensi, risum tenere non potui, quem ne tu quidem ista legens continere, opinor, poteris. Non ii certe, qui viam demonstrarunt, illudere peregrino voluerunt, sed vocabulorum similitudine *Macinato* et *Maecenate* hallucinati, quod unum e duobus cognitum habebant, vocabulum in respondendo secuti, eo me, quo ne in mentem quidem venire poterat, adduxerunt. Atque hoc mea culpa factum esse non diffiteor, qui imprudens non animadverti ab istiusmodi hominibus non fuisse eius rei notitiam, quam ignorare debuissent, exquirendam. Quamquam hoc ipse errore meo valde postea sum delectatus. Didici enim quid fere possit a Maecenatibus exspectari. Re amicis narrata, nec sine risu excepta, comperi villam Maecenatis nunc a popularibus *Botani* appellari, quod vocabulum vacuum et inane significat, et sententiam meam perbelle ac mirifice confirmat. Sed extra iocum. Ego institutum ab initio gravi de causa, quam indicavi, morem mutare nolui; non quod principes viros contemnerem, quos, ut aequum est, revereor; sed ut inde mihi praesidium quaererem, unde certo affuturum non dubitabam. Una igitur mihi patrona, una Maecenas, una instar omnium virorum principum Deipara semper fuit et semper erit, quae mihi scribenti affuit, cuius opem nunquam non praesentem meis in studiis expertus sum. Hoc verbis meam erga eam pietatem declarantibus nescio cui operi meo adscriptum exstare volui in

hunc modum, quidquid adversarii contra opinentur et obstrepant.

IOSEPHVS . MARIANVS . PARTHENIVS
QVIDQVID . HACTENVS . SCRIPSIT
QVIDQVID . IN . POSTERVM . SCRIBET
TIBI . MARIA . VIRGO . DEIPARA . INSCRIBIT
VT . PER . TE . MEREATVR . SCRIBI . IN . LIBRO . VITAE

Vale, et pro me sic Deiparam Virginem ora, ut etiam exores.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XXI. Mirari subit interdum, Mariane frater, quid causae sit, cur homines minime mali et vero etiam pii et religiosi quibusdam de rebus, quas pietas ipsa ac religio commendat, ita sentiant, minus ut ipsi pii ac religiosi propemodum videantur. Ego vero nolo quemquam perperam ac temere criminari. Quare, ut interpretor, isti opinionem modo tuentur suam, frequentius nimirum, quam modus patitur, a me Deiparam appellari, ut ea non tam appelletur, quam inculcari quodammodo videatur. Deiparam igitur saepius, quam par est, appello, Deiparam inculco, modum non teneo. Audio; sed vellem modum hunc isti mihi definirent, qui, ut alias scripsi, quam facile praecipitur, tam difficulter terminatur. Atque ut generatim loquar et ab arte mea ne discedam, quid est quod in poetis illa Lesbiae, Corinnae, Cynthiae tam saepe iterata, toties inculcata nomina probentur? Non progrediar ulterius investigando. At enim versus sunt elegantes et venusti. Sint elegantes, sint venusti; tantum fortasse venustatis et elegantiae non haberent, si gravi et severo de argumento scripti essent. Ablega Lesbiam, remove Corinnam, iube abscedere Cynthiam,

alsint amorum illecebrae, quae titillant ac sollicitant animos, tunc certe plurimum tanta de elegantia ac venustate deperibit. Hoc adeo verum est, ut quibus meretriculae illae, quas modo nominavi, tantopere probantur, non aeque Laura Petrarchae probetur. Eximius certe, si quis alius, Petrarcha atque excellens poeta fuit; et tamen eius versus non perinde atque ii, de quibus paulo ante dixi, pervadunt animos atque delectant. Quid ita? quia in argumento suo sic ille versatus est, ut amores quidem tractet, sed eos acuto quodam et subtili et plane more platonico tractet. Quae ratio scribendi severa ad delicatiorem relata minus placet, et Laura, quamvis a poeta suo divinis ornata laudibus, minus tamen concinna ac prope videtur incompta. Quid ergo? poetis, de quibus dixi, venia dabitur, mihi non dabitur? intemperantiae illi notam non incurrent, ego subibo? probabuntur illi, ego reprehendar? Sentio equidem me tantum ab eorum scribendi elegantia distare, quantum ipsum a lenociniis; sed tamen non video cur ego condemner, illi absolvantur. Sua illos cura torsit, quod iis conceditur; me mea, quod mihi concedi multo aequius est, non torquet quidem, sed delectat, cui si obsequar, laudandus certe sum, non reprehendendus. Sis, inquiunt, Deiparae studiosus, sis amans, sis eius honoris cupidus, sis gloriae fautor; num idcirco oportet in ea compellanda esse crebrum? Utinam essem, qualem isti esse me videntur existimare; tunc profecto huiusmodi censuram non modo contemnerem, sed optandam mihi expetendamque putarem. Sed si istorum iudicio sum, qui reipsa non sum, sed esse vellem, quid est quod mihi negotium facessant, quod molesti sint, et importunius interpellent? Patiantur igitur me huic meo studio indulgere, rectissimo praesertim atque sanctissimo, sibique persuadeant, me puram illam quam obtendunt, litteraturam non amare, sed de pietate magis ac religione esse sollicitum. Tu vero, ut facis, perge

pro me Deiparam appellare saepius, et istorum obtrectationes mecum una contemne. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XXII. Vide, quaeso, quam superiorem censuram non contemnam modo, sed honori potius mihi ducam ac gloriae. Tantum abest, ut institutum morem reprehendendum existimem, ut maluissem nullo alio in argumento, quam in unius me Deiparae laudibus esse versatum. Retexerem libenter, si possem, lucubrationes omnes meas, easque ita contexerem, ut prorsus Marianae evaderent. Hoc autem fieri cum nequeat, officiosam hanc meam, opinor, voluntatem Deipara non aspernabitur. Quod vero secus me gesserim; praeterquam quod meo semper arbitratu scribere non licuit, id (fateor, Mariane frater, mihique affirmanti credas velim) id argumenti magnitudo summa et incredibilis difficultas effecit, quae me nihil magis quam de Deipara scribere cupientem a scribendo deterruit. Non defuerunt, qui nimia quadam et facultatis in scribendo meae et qualiscumque mei in Deiparam studii opinione commoti ad persequendas eius laudes hortarentur. Neque vero ego renuebam, sed pio huic meo studio ipsa facultas obstabat, cui plus, quam ei concedendum erat, hortatores mei tribuebant. Obiiciebatur campus longe patentissimus in quo excurrere et in quo exultare posset oratio, sed ab eodem ingrediendo et campi ipsius me immensitas deterrebat, et ingenii mei imbecillitas revocabat. Illum tamen magno animo ingredi aliquoties non dubitavi, sed vix aliquantum spatii processeram, incidi mihi quodammodo nervos sentiebam, deficere vires, prorsus ut in ipso conatu succidere cogerer, nec ulterius progredi possem. Itaque regredi necesse fuit, meque intra angustos ingenii mei fines reci-

pere ; immensitas porro illa felicioribus relinquenda ingeniis , quorum ex copia coniectura capi posset , quantum essent in eiusmodi campum et virium allaturi , et in eo excurrendo facultatis habituri. Huius rei documentum habeto. Scito susceptum a me ultro fuisse munus singulis annis dicendi *de Conceptione B. Mariae* ad sodales Marianos Collegii Germanici. Nihil hoc argumento, ut vides , splendidius , nihil optari uberius poterat atque copiosius. Agitur in eo existimatio Deiparae , agitur dignitas , agitur a divina Maternitate ornamentorum omnium maximum , illique uni proprium ac singulare. Adversarii vero, quos habet haec causa, optandi magis sunt , quam formidandi , qui ut acres sint , quid aliud tandem efficere possunt, nisi ut quantum illi ad oppugnandum, tantum tu ad repugnandum virium afferas et contentionis. Nihil enim in optima causa expetendum est magis , quam eos , quibus contradicas, habere, qui et ingenium acuant , et eloquentiam incitent , et studium vehementius inflamment. Dicam id , quod est , nec tibi quidquam dissimulabo. Ita mihi Deus ac Deipara propitia sit , ut ego tantum decus divinae Matri pro viribus asserere ardentissime concupivi. Itaque cum mihi singulis annis de immaculato eius conceptu dicendum esset, ad id argumentum nunquam accessi, quin alacrem animum attulerim , quin omnes ingenii mei nervos intenderim, ut plus etiam, quam efficere me posse sentiebam, eniterer atque conarer. Quid censes ? vani prorsus conatus fuerunt, inanes nisus , omnis frustra suscepta contentio. Torpor quidam occupabat animum, ut me verba cum sententiis deficerent. Aridus , siccus, ieiunus, exsanguis , sine nervis , sine vi , sine ulla concitatione animi reperiebar, ut me frustra insumpsisse tempus putassem et operam perdidisse , si ad huiusmodi laborem piam saltem voluntatem non attulissem. Contra accidit in actione pro Aede Lauretana, argumento longe difficiliori , et multo sane

minus uberi et copioso. Hanc ego uno prope impetu effudi, ut, cum post decem et eo amplius fortasse annos in adversariis meis repertam legissem, miratus equidem fuerim tantam causam ita fuisse a me explicatam atque defensam. Hic vero quid tu? quid ego dicam? Parem certe voluntatem, par studium, parem facultatem ad utrumque argumentum attuli, sed contra atque esse debuisse videtur, non par fuit exitus et longe dispar eventus. Quo dispari eventu docemur, omnia eo esse referenda, unde exordium ducunt, nihil ut sine divino numine suscipiendum sit, nihil sine eo optatum possit ad exitum perduci. Quare ea, quae recte scripsi, secundum Deum divinae eius Matri accepta refero, quae vero secus, mihi uni tribuo; quod ni facerem et prae me ferrem, mortalium omnium essem ingratissimus. Ab hac vero nota cum refugiam quam maxime, hinc factum est ut, quotiescumque se obtulit occasio, eam si minus perpetua oratione laudare, eius saltem appellare nomen et grati animi edere significationem nunquam praetermiserim. Vale, et sic Deiparae me commenda, ut non leve apud eam commendationem tuam pondus habuisse sentiam.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

XXIII. Non dubito quin tu lecta postrema epistola mea miratus sis, nec satis causam assecutus, quare mihi in argumento de satu Deiparae Virginis, quod scripsi, praeter omnem opinionem et vero exspectationem evenerit. Sed ita, uti narravi, tum in hoc tum in aliis evenisse argumentis pro certo habeas. Quo vero mireris minus, non te celabo de more meo, quo ad scribendum accedo, ut eo certius una mecum praesentem Deiparae opem agnoscas. Cum ad scribendum me confero, nihil antea meditatum af-

fero, ut ne primum quidem vocabulum in promptu habeam, quo scriptionem exordiar. Calamum in manus sumo; quod primum sponte sub eius acumen verbum subit, illud arripio; tum aliud ex alio, et reliqua, quae ultro consequuntur. Si filum orationis occupo statim ab ipso initio, transacta res est; si secus, omnino desperanda. Sic enim sum natura comparatus, ut si calamus maxime in exordiis semel aut haereat aut offendat, ea opponatur difficultas, quae vinci vix possit ac superari. Haec res me non raro in summas coniecit angustias, praesertim cum definito argumento e superiore loco dicendum esset, ex quibus non nisi ope ac beneficio Deiparae Virginis evasi. Recte Horatius *Verbaque provisam rem non invita sequentur.* Ego vero rem providere nunquam potui; et quod consequi necessario debebat, et verbis et rebus non raro sum destitutus. Hinc illae angustiae, hinc desperatio. Nuncium, fateor, saepe arti remisissem, nisi Deipara animum despondentem ac desperatum sublevasset. Quae a me de me dicta sunt in primo Actionum mearum volumine (Act. 3 l. 1) ea vere dicta sunt, nec supra veritatem exaggerata. Argumenta sane valde difficilia tum oratorie tum poetice tractanda suscepi, quibus in optandis damno consilium meum, qui onus tollere, quod ferre non poteram, ausus fuerim; illud tamen utcumque tuli, et sic pertuli, ut illud sustulisse me non poeniteat. Poeniteret autem, si illa, quae divinae sapientiae Mater exstitit, opem atque subsidium in clientulum suum non contulisset. Non negabo me non pepercisse labori, operae, industriae, diligentiae, ut ad absolutissima omnium summi oratoris et poetae exemplaria attenta et non intermissa lectione fingerer atque componerer. Sed tamen eorum assidua lectio ita me iuvit, ut aliunde opem mihi petendam existimarim. Adde quod nunquam scriptioni manum admovi, quin de exitu desperarem. Quidquid emersit, praeter omnem exspectationem emersit. Multa diuturno

studio et pertinacissima contentione elaborata, propterea quia minus e sententia successerant, delere coactus sum ac prorsus repudiare. Ea solum retinui, quae subito ac primo impetu effudi, quamquam haec per otium limavi et adhibito studio diligentiaque perpolivi. Itaque, ut revertar eo, omnia quae prospere evenerunt divinae Matri me debere profiteor, quod mihi ita certum est atque perspectum, ut hac de re dubitare nullo modo possim, et si aliter sentirem, eius beneficentiae iniuriam irrogarem. Quoties enim in illas, quas dixi, angustias coniectum me sensi, toties implorato Deiparae auxilio ereptus ex iis explicatusque fui. Hoc non semel, non iterum, non tertio, sed centies expertus sum. Quare hoc ipsum semper prae me feram, hoc praedicabo *dum vita manebit, dum spiritus hos reget artus.* At enim, opponet fortasse aliquis, de immaculato eius conceptu pro argumenti dignitate scribere volenti minus affuit. Quid tum? Num idcirco in iis, quae tractavi, et fortasse non prorsus ineleganter tractavi, minus praesentem ac propitiam sensi? Hoc primum; deinde quod interdum evenit, id evenisse non sine divino consilio sic interpretor, ut ne mihi, nec ingenio meo nimis praefidere condiscerem docererque experimento meo, divinam in omnibus exquirendam exspectandamque esse opem, sine qua nihil humana efficere imbecillitas potest. Atque haec hactenus familiari sermone copiosius et fortasse verbosius scripta, atque his epistolis consignata, quibus finem impono, ea conditione tamen, ut tu nunquam pro me Deiparam orandi, implorandi, rogandi, obsecrandi, et si quod est aliud vocabulum, quod id ipsum expressius significet, finem facias. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Carolo Ferdinando Capponio Patritio Florentino Comiti et Senatori amplissimo S. P. D.

XXIV. *Non facile* (Cic. ad fam. lib. 9 ep. 16) ***diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igni, ita benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit;*** sic enim placet hanc exordiri epistolam, quam ad te scribo, vir nobilissime, usus verbis et sententia omnium nobilissimi et eloquentissimi oratoris. Tu quidem semper Societatem Iesu eximio amore complexus es, ut dubitari non possit, ***utrum amor tuus verus esset, an fictus;*** sed tamen ***incidit eiusmodi tempus,*** quo insignis benevolentia tua non periculo aliquo, sed summo discrimine, ***quasi aurum igni,*** et certius perspiceretur, et fidelior iudicaretur. Iam vero quid hic ego dicam? quibus verbis? quo orationis genere tua hoc ipso tempore in Societatem Iesu promerita persequi me putem posse? Si dicam, te calamitate nostra aeque fuisse affectum ac nos, eiusque omnem intimis excepisse sensibus acerbitatem ac duxisse tuam, dicam id, quod non modo verbis significasti, sed re etiam ipsa et factis ostendisti. Quod enim consolationis genus, quod levaminis, quod praesidii aut fuit aut esse potuit, quod tu in miserabili casu et in summa aegritudine constitutis sodalibus non exhibueris atque praestiteris? Tu dispersis improviso turbine ac dissipatis, incertis, errabundis, nullo consilio, sine tecto, sine praesidio, domum tuam confestim aperuisti; tu suburbanum statim illis tuum patefecisti; tu utrumque, tamquam commune hospitium, diversorium, perfugium, portum denique, quo se a turbulentissima tempestate reciperent, esse voluisti. Et vero beneficentia tua ulterius progressa pecuniae non pepercit, cui parcere vel ipsi propinqui et amicissimi in carorum infortunio solent. Sed quid

est cur ista singillatim persequar et coner exponere, qui rem omnem uno prope verbo transigere possim, si dicam, te tamquam amantissimum patrem erga carissimos liberos gessisse, sinumque tuum, in quo plane conquiescerent, obtulisse ? Quae qualia quantique facienda sint, quis demum explicet ? Et sane a quam multis, qui nos antea colebant et officiis omnibus prosequebantur, destituti subito fuimus ac derelicti? Quam multis, quibus antea noti et familiares eramus, tamquam ignoti ac peregrini videbamur ? Quam multi, qui lateribus perpetuo nostris adhaeserant, a nobis, tamquam de caelo tactis, illico refugerunt; sibi videlicet et prosperae fortunae nostrae magis quam nobis amici? Tu vero multo aliter, qui fortunam nostram sive adversam sive secundam nunquam non duxisti tuam. Et vero in adversa multo maiores et propensioris voluntatis et liberalioris beneficentiae a te significationes esse edendas existimasti. Quod cum per se magnum, tum ita singulare est, ut raro admodum huiusmodi exempla in historia reperiantur. Macte ista tua beneficentia, vir amplissime, qua propius ad Deum accedis, cuius est afflictos erigere et aerumnosis calamitosisque subvenire. Quam igitur gratiam, ut te pro sodalibus etiam meis compellem, referre nos unquam poterimus, quae beneficiorum tuorum numero amplitudinique respondeat? Nullam certe; non quia voluntas desit, sed quia facultas non suppetit, quam tu videlicet ipse nobis insignibus promeritis tuis singularibusque eripueris. Quare illud tantum nobis reliqui fit, quod in nostra potestate est, ut recipiamus, et profiteamur, nos quoad vita superstes erit et tantorum beneficiorum memores, et eo grati animi vinculo, quo arctiori esse non possimus, devinctos tibi obligatosque futuros. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Iosepho Matthaeio Iovii Duci S. P. D.

XXV. *Dis, parentibus, et magistris nulla unquam satis digna rependi gratia potest.* Gravis ac vera sententia omnium aetatum assensu et auctoritate confirmata. Nos vero, ut Christiano more loquamur, Deo, parentibus, et magistris parem nequaquam a nobis referri posse gratiam affirmemus. Atque his quidem officiis, Dux amplissime, si tantum a te satis esse factum dicam, minus quam debeo, tribuisse videar pietati tuae, quae non quavis mensura contenta cumulatissime iis, quantum rei natura patitur, quae exaequari nequit, satisfecerit. Ac primum de pietate tua in Deum quid eloquar? quae in te sic elucet, ut nobilissimae lumen obruat splendoremque familiae. Quamquam haec non est tua laus solum, sed ita propria stirpis tuae, ut non tam a maioribus accepta, quam illi propemodum innata esse videatur. In optimos parentes vero, qualem te praestiteris, iam inde ab ipsa pueritia ostendisti, quos nullis non pietatis officiis prosequutus aeque colueris, ac dilexeris. Iam quemadmodum te erga doctorem tuum gesseris, paulo fusius est exponendum. Usus eras, cum Romanum Collegium optimis artibus imbuendus celebrasti, in grammaticis praeceptionibus institutore N. Storionio, iuvene singulari eximiaque virtutis opinione commendatissimo, qui quo erat fervore animi et amplificandae divinae gloriae studio succensus, Indicam expeditionem petiit, et impetravit. Continuo relicta Europa et transmisso oceano, eo appulit, ubi, nisi aliter Deo visum esset, magno fuisset illis gentibus usui et salutari futurus. Consequutum est praeter omnium exspectationem tempus illud longe calamitosissimum, et consecuturarum calamitatum praenuncium, quo sodales omnes ex omni Lusitanica ditione exulare coacti sunt. Itaque retractus Ulyssiponem in carcerem,

cum nihil tale sibi conscius suspicari potuisset, nulla facta defendendi sui potestate, innocens coniectus est, in quo summa animi aequitate et admiranda tolerantia plures annos perstitit, donec tandem aliquando libertati restitutus in Italiam remigravit, et Romam, unde discesserat, reversus est. Hic' ego eius carceris squalorem, moerorem, angustias, tenebras sempiternas non describo, propterea quia omnibus nota sunt, tibi vero cum aeque nota essent, effecerunt, ut eius aerumnosissimam vicem, supra quam explicari a me possit, miserareris. Tuae igitur obsequutus pietati nihil non tentatum reliquisti, quo illum e tantis miseriis eripere et seras carceris, unde ei ad libertatem pateret exitus, si quo modo consequi posses, patefaceres. Sed ferrei postes piis conatibus tuis obstiterunt, ut neque gratia, neque auctoritate, neque precibus eos non dicam recludere, sed ne commovere quidem potueris. Quare et tibi necesse fuit cedere tempori, et doctori tuo in foetido ac tenebricosissimo carcere detineri, quoadusque obstinatissimi postes, Deo volente eosque invicta manu sua impellente, reserati perfractique sunt. Hoc modo de medio sublatis, quae tuae pietati restiterant, tum enim vero patuit, quam illa insignis esset in eum ac plane singularis. Vix Centumcellas appulit, ex ipsa navi egredienti amica ei manus a te porrecta fuit. Ut Romam venit, non ad alium quam ad tuum passus es divertere hospitium, exceptusque est a te, humanissime habitus, et officiis omnibus cumulatus. Nihil denique omissum, quo perditum, afflictum, nullis affinibus et propinquis, desertum ab omnibus recreares et pene extinctum ab interitu ad vitam revocares. Quo vero ei prodesses magis, ipsum adire Pontificem non dubitasti, cuius facultate in Romanum Convictum reciperetur. Qua impetrata, rebus omnibus tua impensa instructissimum, eo tu ipse deduxisti, ubi post diuturnam tot annorum in turbulentissimo mari iactationem

conquiesceret. Haec huiusmodi sunt, Dux amplissime, quae neque ego, neque vero quisquam vel disertissimus quanta sint, non dicam, pro dignitate ornare, sed ne commemorare quidem pro merito possit. Iam vero quis mihi nunc familiae tuae, cuius primordia in ipsa antiquitate latent, nobilitatem, quis avita decora atque ornamenta, quis tot viros toga sagoque praestantes, quis eorum egregia facinora resque praeclare gestas obtrudat? Hanc ego pietatem tuam et nobilitati et ornamentis omnibus rebusque praeclare bello et pace gestis iure optimo antepono. Tituli, opes, ceteraque huius generis ita tua sunt, ut ea maioribus etiam debeas tuis; hoc autem tam egregium benefactum, totum quantum est, quod certe summum est, totum est, inquam, tuum. Nemo sibi eius partem vindicare potest; nemo quidquam ex hac laude decerpere, quae demum vera laus est, unde et ipsa nobilitas emergit et gratia potissimum illa comparatur qua Deo primum, deinde etiam hominibus conciliamur. Quae dum affirmo non dubito, quin mihi assensurus sis, qui christianam pietatem omnibus semper vel tuis vel maiorum tuorum ornamentis insignibusque praetuleris. Haec, uti sentio, ad te scribo tibique persuadeas velim me nihil aliud in scribendo habere propositum, quam ut intimos animi sensus aperiam, et hoc qualicumque debito gratiarum actionis non tam pro sodali meo, quam pro me ipso officio fungar. Video enim, nec dubitare possum quid mihi, quo similiter doctore usus es, praestiturus fuisses, si in eadem calamitatis acerbitate exstitissem, subsidioque tuo indiguissem. Perge igitur, ut iisdem apud te nunc, quibus olim, utar ad pietatem ac virtutem hortamentis, perge, inquam, isto modò tibi Deum et homines demereri. Deum quidem, quem tibi, rarissimae coniugi tuae, et suavissimo filiolo, omni denique nobilissimae familiae tuae pro tam insigni benefacto eximiaque

pietate propitium ex animo precor et vero futurum sine haesitatione confido. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Laurentio Matthaeio
Ex Ducibus Iovii Lateranensis Basilicae Canonico
S. P. D.

XXVI. Nisi iam pridem constituissem nemini lucubrationes meas, praeter quam Deiparae Virgini studiorum meorum praesidi, ac patronae inscribere, tu profecto unus exstitisses, cui Ephemeridem sacram, quam nuper edidi, libenter nuncupassem. Vix enim me de hoc edendo opusculo cogitare ad te perlatum est, collaudato statim et mirifice probato consilio, ita eius suscepisti curam, ut maiore studio non posses. Itaque non existimasti indecorum loco ac dignitate, qua emines, petere, rogare, instare, ut quamplurimi se volumina empturos reciperent, unde typographo, qui periculo suo rem omnem susceperat, animus adderetur, et sumptus necessario in impressione faciendi praestarentur. Et vero tantum gratia et auctoritate perfecisti, ut totum pene amplissimum Collegium tuum in hanc societatem adduxeris, mihi vero molestiam omnem ademeris, quo totus essem in elaboranda Ephemeride, colligendisque SS. Martyrum monumentis. Quare tibi pro hoc studio tuo tam egregio ac plane singulari summas gratias et ago et habeo, et me semper esse habiturum profiteor. Nomen certe tuum et ornamentum operi et pretium addidisset, cum propter excellentem nobilissimae familiae tuae dignitatem, tum et multo etiam magis propter virtutum tuarum excellentiorem nobilioremque praestantiam. Cum autem inscribendi cuiquam operis mihi ipse praeciderim facultatem, officiosam saltem voluntatem, quae in quaque re maxime spectatur, rogo, habere velis acceptam. Quamquam hac etiam me cogitatione consolor, quod si

te re integra in consultationem adhibuissem, utrum tibi an Deiparae Virgini opusculum inscribi malles, Deiparam certe praetulisses. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Sodalibus Societatis in Prussia existentibus S. P. D.

XXVII. Intellexi a Carolo Koriskio sene emerito et Polonicis Provinciis olim praeposito vobisque propter singulares eius animi dotes, eximiamque virtutem notissimo vos plurimum latinorum meorum operum lectione delectari. Quid dicam? equidem non dissimulabo. Magnopere gavisus sum, idque mihi cum perhonorificum duxi tum pergratum accidit, perque iucundum. Quid enim tam honestum est, tamque expetendum, quam cum aliquid edideris, legi ac probari a doctis viris? Atque hoc gaudeo etiam magis, quod ea vobis probentur, a quibus probari, cum illa elucubrarem, in primis expetivi. Non enim scripsi ut scriberem, et stilum, quod nonnulli factitant, exercerem, sed eo direxi scriptionem meam, quo a Societatis alumno referri oportebat, ut primum suis, deinde exteris esset adiumento; tum vero si quid hoc in genere consecutus essem, quod laude dignum existimaretur, hanc ei potissimum rependerem gratiam, quae me a prima aetate erudivit, et ad hanc qualemcumque in scribendo mediocritatem praeceptis suis institutisque provexit. Quid igitur cum scriberem maxime propositum habui? Illud nimirum ut iunioribus nostris, si quo modo possem, prodessem, ostenderemque exemplo meo quantum Ciceroniana lectio valeret, quantumque ad omnem dictionem in ea nobis comparatum esset opis atque praesidii. Quaedam eiusmodi vulgo putantur, ut Ciceroniano more vix ac ne vix quidem efferri posse existimentur; sed falso. Ea enim ubertas, vis et indoles Tullianae eloquentiae est, ut in omnem

partem facile agatur, atque ad omne dictionis genus ab homine solerti, non admodum operoso negotio, accommodetur. Ut enim nihil est tam tenerum ac molle quam oratio, ita nihil est tam novum, tamque insolens quod dici vetere illo ac disertissimo more ornarique non possit. Quare ego dedita opera, communibus omissis, ea selegi argumenta, quae vulgo tractari non solent, et vero etiam ex historia ecclesiastica, quae Ciceroniana exponere atque expolire locutione conatus sum. Quid assecutus sim idonei aestimatores iudicabunt. Illud certe ut assequerer contendi, ut iuniores nostros, et eos maxime, qui inter heterodoxos versantur, ad Ciceronianam lectionem allicerem, unde ad tractandas fidei controversias paratiores accederent, et quos causa vincerent, stilo quoque eloquentiaque superarent. Dici enim non potest, quantam vim habeat elegans oratio et diserta, quantumque roboris addat rebus ipsis, quae tractantur, ad refellendos adversarios, eorumque conatus debilitandos. Ut enim ensis probe detersus fulgore suo perstringit oculos, nec minus acie ferit, et coniunctim nescio quid ad plagam inferendam confert; sic arma eloquentiae, si laevia sint ac polita, non solum vulnus important, sed gravior inde plaga venit, ac vehementior. Hoc animadvertere est in Perpiniano nostro, cui viro ego quidem primas a Cicerone in Latina eloquentia defero. Eius orationes *de veteri religione retinenda* Lugduni et Parisiis ab ipso pronunciatae, omnino ad Ciceronianam granditatem exaratae fuerunt. Quantum vero in iis vis et roboris insit, cum per se ipsae aperte declarant, tum multo apertius Calviniani, contra quos eas habuit, inconditis in ipsa concione excitatis clamoribus declararunt. Usque adeo non tam in sententiis, quam in verbis alio atque alio modo elatis momenti accedit plurimum. Non hoc eo dico, quo mihi quidquam hoc in genere arrogem, qui cum tanto viro nullo modo sum comparandus, sed ut consilium meum ape-

riam, totamque eius rationem patefaciam. Nec vero nunc est cur dispersa Societate suscepti laboris me poeniteat, perinde quasi operam perdiderim et inaniter collocarim. Nam praeterquam quod recte facti conscientia me consolor, confido vobis in statione manentibus, et singulari Dei beneficio a communi calamitate exemptis non inutilem evasuram, et alicui usui futuras orationes meas. Valete, et me Deiparae Virgini quantum enixe potestis commendate.

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Benislawskio Episcopo Gudarensi et Coadiutori Archiep. Mohilovien.
S. P. D.

XXVIII. Officio certe meo deesse mihi viderer, si qui te praeclara apud summum Pontificem legatione functum conveni, et Roma abeuntem faustis ominibus prosequutus sum, nunc tibi sacram, quam adeptus es dignitatem, minime gratularer. Evenit, quod incensissimis votis optabamus; et quod nobis ne eriperetur non sine causa verebamur, obtinuimus. Discussis enim tandem aliquando machinationibus, quae eo pertinebant, ut negotium totum disturbarent ac prorsus everterent, exspectatissimae litterae Petroburgo allatae sunt, quae te sacra dignitate insignitum, et a Pontificio Nuncio Latino ritu, nunquam fortasse antea istis in regionibus usurpato, consecratum Episcopum nunciarent. Itaque est, cur rem tantam et tot conatibus oppugnatam feliciter atque e sententia esse confectam maximopere laeter, novumque honorem non tam ego tibi, qui nullo non ornamento dignus es, quam Ecclesiae Catholicae gratuler, et vero etiam Societati nostrae, quae calamitosissimis hisce temporibus alumnum suum eo provectum videt, unde et levamen sibi affuturum, et praesidium non defuturum possit confidere. Nec vero non etiam est cur felicia hinc ac prope certa eiusdem in pristinum

statum restitutionis auspicia captari possint, quod futurum cum sit, utinam cito contingat, et me vivente contingat! Verum si mea ingravescens quotidie magis meis intercedit votis, tua vigens aetas non obstabit tuis, quo minus eam maiori sua parte redivivam, et non minus quam antea florentem aspicias. Quod cum tibi ex animo apprecor, tum oro, ut officium hoc qualecumque meum quod in tanta ac tam inusitata celebritate tibi defero, sic accipias, ut tibi summe debitum et plenum observantiae erga te meae. Hac oblata opportunitate patieris, opinor, ea tibi in memoriam revocari, quae Roma proficiscens mea causa, imo potius communi, te effecturum, cum per tempus liceret, recepisti. Haec autem aeque ac reliqua, cessura feliciter, non dubito, atque ut ne dubitem tum excellens tua in agendo dexteritas facit, tum eximia in primis ac singularis augustissimae Imperatricis benevolentia, qua te et Societatem universam prosequitur. Non est cur rescribendi molestiam suscipias; mihi satis erit, si cum aut Carolo Koriskio, aut Iannario Sanchez De Luna sodalibus scribes, meam hanc accepisse epistolam significabis. Iterum vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Iacobo Matio S. P. D.

XXIX. Cum hominum optime de me hoc tempore meritorum nomina ac beneficia litteris mandare instituerim, quo grati animi mei perennis aliqua exstet significatio, te, cui tantum debeo, quantum certe nemini, praeterire nullo modo nec possum nec debeo. Tu antea mihi, quam summa calamitas, nec opinata percelleret, eras minime notus, et ego vicissim tibi prorsus ignotus. Verumtamen ipsa calamitas, Deo sic humanas vicissitudines temperante, ne in subitis ac miserrimis casibus omni solatio

destituamur, effecit, ut tu mihi probe innotesceres, et ego tibi ignotus esse desinerem. Accidit enim, ut interprete eiusdem calamitatis socio nomen ad me deferretur tuum, simulque mihi praeclara, quibus distingueris ornamenta significarentur. Quo factum est, ut non solum mutua utriusque nostrum notitia existeret, sed etiam inter nos amicitia conciliaretur. Atque haec quidem tam cito coaluit et conglutinata est, ut eodem prope momento temporis et emerserit, et ad summum provecta fuerit. Iam quid tu in hac coniunctione nostra secutus sis non dicam, propterea quia quidquam in me non reperio, quod te magnopere ad eam allicere potuerit; dicam sane quid ego secutus sim. Cum primum tua consuetudine uti licuit, animus me statim tuus simplex, rectus, apertus, ab omnique fuco ac fallacia alienus incredibiliter cepit; et confestim patuit, quam me totum tibi ullo sine periculo, atque adeo certa committere cum fiducia possem. Quod cum semper optandum, tum expetendum maxime est, cum desertus a falsis amicis in summa calamitate sis infortunioque constitutus. Huic ingenio ! plane ingenuo ac liberali proxima accessit fides tua, quae est fundamentum amicitiae et humanae commune vinculum societatis. Hanc ego aeque certo ac facile ex eo coniicere potui quod summis probata Pontificibus te publico aerario praefecit. Hi porro eamdem adeo incorruptam et longa annorum serie sibi consentientem experti sunt, nihil ut de rationibus publicis te inconsulto statuendum censuerint, et vero etiam non raro iudicium tuum, vel primariorum virorum, qui in consultationem adhiberi solent, diversa sentientium, opinionibus praeferendum existimarint. Usque adeo libere ac sincere expromenda sententia, animoque ab omni cupiditate alieno, eam consecutus es auctoritatem, quae demum non titulis, non opibus, sed fideli commissi muneris administratione comparatur. Neque vero fides tua tentata

non fuit promissis et gratia. Tu vero et promissa repudiasti, et gratiae restitisti, nihil habens antiquius, quam ut eam inconcussam inviolatamque servares. Atque haec huiusmodi sunt, quibus una eximia pietas ac singularis religio possint anteponi. Tum qui animus erga me tuus, quae benevolentia, quae voluntas sit, quam effusa, quam in omnem mihi gratificandi imminens occasionem, prolixa commemoratione non persequar, propterea quia non dubito, quin haec tibi molesta forent, qui beneficia impertiri malis, quam commemorari. Ego vero e plurimis, unum tantum hic pace tua commemorabo, quod mihi quidem omnium instar beneficiorum fuit. Tu enim summa, qua apud optimum Pontificem *Pium VI.* vales gratia in Romanum Convictum aditum multis licet difficultatibus obseptum patefecisti. Quo patefacto neque ego habui quid amplius cuperem, nec benevolentia erga me tua, quo alterius progrederetur. Habe igitur hanc epistolam, et sic eam accipito tamquam ex intimo grati animi mei sensu profectam et amico exaratam, cui sincere profiteor similem amore, beneficentia, fidelitate, officiis omnibus me habuisse neminem, neque vero, quoad vivam, habiturum. Vale.

LIBER SEXTUS

Iosephus Marianus Parthenius — Ioanni Mariano fratri carissimo S. P. D.

I. *Vel meo ipsius interitu mallem litteras meas desiderares, quam eo casu, quo sum gravissime afflictus* (1). Sic enim libet epistolam hanc exordiri meam, ut olim suam orator summus in casu multo leviore. Et vero casus noster huiusmodi est, ut acerbiorem difficile admodum, omnem licet historiam pervolutes, invenias. Non enim unam urbem, aut provinciam afficit, sed omnes omnium provinciarum ac regnorum urbes complectitur, ultraque terras ac maria ipsa progreditur. Quae ex hoc casu luctuosa consecutura sint, facile et tu vides, et quivis, qui illum sibi tantummodo proponat, intelliget. Non multa prudentia opus est, neque vero providentia, quae videat in posterum atque ex praesentibus coniectando futura eliciat. Res est per se clara et meridiana luce illustrior, nisi quod tantae luci caliginosa nox offunditur. Noli quaerere qui sint sensus mei; quae clausa habeo in pectore soli Deo in *oratione* patefacienda sunt. Quamquam nonnulla certo consilio, habitoque delectu expromi sine piaculo possunt, et a me consequentibus litteris re ipsa expromentur. Ut enim mihi ad multam noctem in superiori parte domus deambulanti quid actum esset, quidque de nobis decretum, nunciatum est, haesi, obstupui, cohorrui; in lacrimas deinde effusus et meam et carissimorum sociorum vicem, maxime vero florentissimae nostrae iuventutis, quae in magnam spem religionis ac Societatis succrescebat, dolui. Tum me ad christianae philosophiae praecepta revocans arcana sapientissimi Numinis consilia prono capite venera-

(1) Cicer. ad familiar. lib. 9 ep. 11.

tus sum, quae homini investigare nefas est. Illa saepe usurpavi; *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum: Dominus dedit, Dominus abstulit;* et reliqua satis nota ac piorum labris in huiusmodi eventibus contrita. Optimi Parentis exemplum in primis mihi statim obiectum est, qui similem sibi casum proponens, se divinae voluntati, ut quartam horae partem orando transegisset, statim acquieturum affirmavit. Consolationem tibi nullam nunc quidem exhibeo, cum ipse consolationis indigeam; pacato tantisper animo subitae rei calamitate graviter vehementerque commoto aliquam tibi fortasse adhibebo. Quamquam frustra consolatio ab hominibus petitur; ab eo petatur, qui est *Deus totius consolationis;* secundum Deum petatur ab ea, quae iure *causa nostrae laetitiae* appellata est. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — *Eidem S. P. D.*

II. *Cum subit illius tristissima noctis imago*, qua lata in nos sententia est, de nobisque contra atque vellemus et suspicabamur pronunciatum, totis, fateor, artubus contremisco, intimisque sensibus commoveor. Refugit animus recordari, nedum verbis exponere quae acta illa nocte sunt. Absit tamen, ut ob eam causam minus rectae permotioni indulgeam, nec quidquid accidit, qua religiosum hominem decet, animi aequitate ac patientia ferendum ducam. Sed tamen quia a me quid actum sit narrari tibi vis, sic habeto. Ea in primis nox insomnis ab omnibus transacta fuit. Nemo se strato commisit, nemo clausit oculos, quos habere clausos et animi aegritudo et iuges lacrimae vetuerunt. Neque vero nos soli vigilavimus, sed tota passim urbe ea vigilatum nocte est. Obsessa militibus et incredibili hominum multitudine Collegia; alii aliud exspectabant, alii aliud suspicabantur: attoniti omnes

et inusitata novitate perculsi mussare inter se vix audebant; quid de nobis futurum esset ignorabatur, et qua via ex tot armis et armatis elaberemur, exspectabatur. Ipsum Pontificem insomnem duxisse noctem ferunt, etiamsi nunciatum ei esset, omnia ex sententia processisse, transactumque sine turbis fuisse negotium. In casu vero tam subito, in tanta perturbatione animorum, testor Deum, in cuius conspectu haec scribo, nemo sociorum conquestionibus intemperanter indulsit, nemo de Pontifice conquestus est, nemo quemquam accusavit, ut ego sane quam de summo infortunio doleo, tam de singulari sodalium meorum in re acerbissima moderatione me consoler. Laxatae quidem lacrimis habenae, sed iniectum ori fraenum; nec vero reseratum, nisi ut alter alterum ad patientiam et debitum divinae voluntati exhibendum obsequium hortaretur. Incredibilis in repentina calamitate omnium dolor fuit, sed nemo fortasse vehementius doluit, quam Iosephus Scottus noster, nemo uberius lacrimas fudit, ut eius dolori adhiberi medicina vix videretur posse. Ego pro veteri amicitia saepe adibam hominem, et nunquam non ubertim lacrimantem reperiebam; vigiliae consecutae, et ad plures noctes, quod aliis etiam contigit, productae. Quid reliqua persequar? Multo plura hac epistola, quam initio constitueram, complexus sum; et refricandis vulneribus recrudescit dolor. Tu vero gratias age Deo, qui his rebus non interfuisti, auditu quidem acerbis, sed visu atque perpessu multo acerbioribus. Audio ex te pacate isthic et sine armis rem fuisse perfectam. Ego sane cum inter arma et armatos incessi, communis militiae in mentem venit, nec non eius, qui militiae nomen dedit, et tot illustria patientiae, moderationis, mansuetudinis documenta nobis reliquit, cui quidem similes evadere, quantum eniti divina iuvante gratia possumus, conari debemus. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

III. *Infandum rursus iubes renovare dolorem*, et ad noctem illam multo luctuosissimam reverti oratione mea, quam oratio ipsa refugit ac propemodum reformidat. Itaque de illa nocte satis. Qui consecuti sunt dies tametsi non ita acerbi, molesti tamen fuerunt. Immutata statim totius Collegii facies; ordini successit rerum omnium perturbatio. Concisi funes, quibus aera alligabantur, et ad consueta munia vocabamur. Inconditae externorum voces exaudiebantur, silentium exulabat. Frequentes militum discursus, religiosae domus sublata specie, militaris stationis imaginem exhibebant. Interdictus in templum aditus, cuius fores armatis obsidebantur; sola ad divinum celebrandum sacrificium domestica patebant sacella. Institutus in atrio Collegii, nescio, quo auctore, mercatus vendentium et ementium; nova indumenta vendebantur et comparabantur; domus Dei effecta est domus negotiationis; qui vendebant, ab harum mercium prorsus ignaris emptoribus quantum volebant, auferebant. Praefiniti erant dies octo, quibus transactis de veteri possessione recedendum erat. Ego me recepi in secretiorem Collegii partem, ubi tot odiosarum rerum occursum aspectumque vitarem. Scis porro quam partem dicam, quae et secretior et sacratior est, ubi S. Aloisius, ubi V. Berchmans, ubi tot sancti Patres, ubi tot illustres Christi martyres diversati quondam fuerunt. Ibi solus inambulans ad omnia adversa ob Christi amorem perferenda, quomodo in illa aegritudine poteram, memet confirmabam. Aliquod levamentum illa solitudo afferre videbatur, sed nova inde aegritudo, unde solatium mihi studebam conquirere. Illa enim ipsa Sanctorum monumenta siccis oculis aspicere non poteram, quibus carere in posterum necesse erat. Ornatus auferendi e Sancti Aloisii sacellis, egregiae tabulae, argentea candelabra, aliaque huiusmodi ad sacrum

cultum spectantia alio asportanda me minus movebant; parietes soli sanctissimorum virorum commemoratione consecrati vehementissime commovebant. Multa praetereo, quae te scire nihil refert, et me mandare litteris piget. Quinto ex octo praefinitis diebus tandem aliquando ex tanta flamma, sive potius incendio evolavi. Sacros postes amplexus sum, oscula foribus infixi, et lacrimans ploransque e Collegio noctu discessi, curruque invectus eo adductus sum, ubi nobile paratum diversorium inveni, in eoque ad duos menses commoratus, huc tandem concessi, ubi ab amantissimis hospitibus tam benigne exceptus fui, ut mihi quidem ex turbulentissima tempestate translatus in portum videar. Hoc me debere munus B. Virgini fateor, cui totum curandum hoc negotium commisi. Tu si me amas, fac ut illi meo nomine maximas gratias agas. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

IV. Ut profana exordia omittam, bonus Deus, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, non minimum sane mihi solatium impertivit. Nam quum fere omnia, quae loco moveri poterant, et ea praecipue, quae ad divinum cultum spectabant, interversa fuerint, nihil ex eo, quod ego curavi, sodalitio ablatum est; nihil alio, nihil ad alios usus traductum, sed omnia salva et prorsus intacta persliterunt. Non ignoras quam multa in illud intulerim, quanto studio, quantoque sumptu ornandum curarim, sic ut nihil pecuniae ad privatos usus mihi reliquum fecerim. Quo loco non reticebo, cum ab eo, qui his rebus iussu Pontificis praefuit, reddità mihi crumena fuit, ne assem quidem unum in ea inventum esse, qua re quantum ipse commotus haesit, tantum sum ego laetatus, quod quae impenderam, in tuto collocata erant, et apud eam collocata, a qua usuram mihi tum in hac tum in altera vita pendendam con-

fido. Hoc igitur mihi maximo solatio fuit; sed hoc ipsum solatium aspersus moeror non parum sane minuit. Nam quoties illa occurrit cogitatio me eo, quo iam tot annos tanta animi mei cum voluptate assueveram, pedem amplius inferre non posse, toties animum tristitia occupat. Semel tantum die B. Virginis Conceptioni sacro peramanter a sodalitii fratribus invitatus sacellum illud sub noctem intravi; sed eius aspectum sine lacrimis ferre non potui, ut mihi iam certum deliberatumque sit ab eodem in posterum adeundo abstinere. Quare doceor eo tantum spectandum esse, ubi consolatio nostra et perfecta et perpetua futura sit. Hanc igitur nobis proponamus unam, in hanc animos nostros intendamus, hac una confirmemur et dum vivimus sustentemur. Vale, meque precibus tuis Deo ac Deiparae commenda.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

V. In tanta distractione sociorum quid de me actum sit, quomodo me habeam, ubi nunc diverser, percunctaris. Paucis; recte quidem me habeo, atque ut in malis, quibus occurri non potuit, omnia processerunt ex sententia. Si explicatius hoc a me tibi scribi vis, narrationis seriem repetam ab exordio suo. Sic igitur habeto. Vix a lata sententia dies intercesserat, cum ad me praeter omnem exspectationem Nicolaus Rigantius Praesul venit missu Cardinalis de Zelada, qui hominem consolatus omnia, quae mihi in eo rerum articulo opus esse poterant, ab eodem Cardinali prolixe detulit. Modestiam in petendo meam, ut eius verbis utar, procul amandarem, libertate uterer, qua uti me vir amplissimus omnino volebat. Quid facerem exclusus ab omni amicorum colloquio, atque congressu? Plura quidem mihi in urbe, quo me reciperem, patuissent diversoria; non defuissent ex omni ordine, qui me peramanter

invitassent et apud se esse et commorari voluissent. Verum, ut dixi, cum omnis ad colloquia amicorum aditus esset interclusus, et quo me verterem plane ignorarem, me totum ei commisi, cui summa in hoc negotio demandata potestas erat. Et sane quod verbo oblatum est, re ipsa praestitum fuit. Novis indumentis statim Cardinalis iussu et impensa, qua maiori fieri celeritate potuit, perfectis, quinto die ab indicta migratione hora prima noctis curru delatus in diversorium, quod mihi parandum curaverat, concessi. Postero die primo mane Cardinalem pro tam insigni beneficio gratias acturus adii, qui me peramanter excepit. Ego vero in lacrimas effusus ne verbum quidem exprimere potui; lacrimae sermonis vicem fecerunt. Ille novis amplissimisque promissis quod in me contulerat beneficium cumulavit. Cardinalis hic iam pridem a me cultus fuerat atque observatus; non quod ego me in eius amicitiam insinuarim, scis enim quam libenter mihi vivam et potentiorum familiaritatem congressumque devitem, sed ipse potius me adscivit in suam, oblataque occasione amicum se esse meminit, amicitiamque ipsa re et factis comprobavit. Digressus a Collegio in conducta domo ad duos menses mansi, sed ita ut vetus domicilium requirerem, et a carissimorum sociorum consuetudine abstractus tanto dissidio vehementer angerer et dolerem. Itaque primo mane domo exibam, nec eo fere nisi noctu me recipiebam. Frequens in Basilicis si unquam antea, ab amicis et sodalibus mensae adhibitus, quibuscum partiebar curas meas, donec duobus ab ingrata commoratione exactis mensibus ad eos hospites me contuli, qui me omni benevolentia exceptum nullis non officiorum significationibus prosequuntur, et apud quos ita diversor, ut propemodum nequaquam ab antiqua carissimaque statione discessisse mihi videar. Hoc ego in summi beneficii loco pono, quod certe in tanto infortunio prorsus singulare est, et acceptum refero B. Virgini, cui

nomine meo oro obtestorque, quas maximas poteris, gratias agas. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VI. Quid facias? Ibi figenda, dum vivimus, statio est, ubi Deus nos constituit; hoc vero non impedit quominus eo semper animo et cogitatione spectemus ubi statio sempiterna futura sit. Hic omnia fluxa, incerta, brevia, caduca, fugacia; illic contra omnia rata, firma, certa, perpetua, et nullo non tempore mansura. *Non hic manentem habemus civitatem, sed futuram inquirimus,* unde exturbari non poterimus. Pulsi sumus e nostris sedibus, sed eo compulsi, ubi sedere semper concessum erit. Non miles, non aderit satelles, qui migrare nos cogat. Cogita fratres nostros in carceribus inclusos, aut solum vertere coactos; cogita latomiarum lusitanarum squalorem, situm, tenebras, angustias; cogita exilii moerorem, diuturnitatem, miserias: tum facilius, mihi crede, migrationis e collegiis ac domiciliis nostris incommoda perferes. Sed de his fortasse uberius. Addo, quod nostrae vocationis est diversa loca peragrare et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium speratur. Haec si considerabis, tibi propemodum a collegiis nequaquam discessisse, et re ipsa in tua manere vocatione videberis. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VII. Quid quaeris, sive potius quereris? Eo rem deduci posse, quo adducta est, nunquam animum induxi ut crederem. Multa quidem, quod accidit, portendebant; sed multo plura contrarium evincere videbantur. Itaque opinionem meam ne nunc quidem, secuta re, damnare possum, mihi certe, et illi ipsi, qui me errare fecit, perhono-

rificam. Sed, inquies, desperatissimis rebus ac iam profligatis quid tandem erat, quod evenire nequaquam posse, quod re ipsa evenit, persuaderet? Omni fulcimento prorsus sublato, ubi tandem opinio ista tua nitebatur? Dicam equidem; non humanis subsidiis, quorum nulla spes ostendebatur, sed caelestibus, quae fere praesto esse solent, cum nos humana destituunt, nitebatur opinio mea. At haec ipsa caelestia subsidia neque praesto fuerunt, neque ullo modo depulsum fuit, quod timebatur, et id evenit quod eventurum non putabatur. Evenit quidem, sed ita ut quondam fortasse evenisse laetemur. Divina consilia, non ut humana, definitum quoddam, quo circumscribantur, tempus habent. Nos homunculi humi strati vix ea videmus, quae ob oculos posita sunt; sed qui *in altis habitat* omnia circumspicit, et *alta*, hoc est ut ego interpretor, longe sita et in futurarum rerum sinu abdita penitus et retrusa cognoscit. Si nos infirmam nostrorum oculorum aciem eo usque intendere possemus, multa quae aut praeter spem aut contra spem videntur evenire, liqueret profecto huiusmodi esse, quae spem ipsam nostram nequaquam deberent infringere atque infirmare, sed augere potius et confirmare. At quod factum est, infectum ut sit, efficere quis possit? Sed qui ex nihilo quae facta sunt eduxit, tametsi quod factum est, factum ne sit, efficere nequeat, ex ipso tamen facto elicere quiddam potest, quod longe praestabilius sit, quam si res, quae facta fuit, nunquam non fuisset infecta. Hac spe me consolor, et tametsi, quod accidit, contra opinionem meam acciderit, censeo tamen mihi in eadem esse sententia permanendum, in qua, quoad vivam, perstabo semper, neque me ab ea cuiusquam auctoritas dimovebit. Falsus prima specie tibi videbor, sed falsitatis non ante quemquam insimulandum puto, quam tota res, totiusque rei ratio explicata sit, et series eventuum suum ad exitum perducta. Ubi eo ventum est, quo veniri ne-

cesse est, neque sine divino consilio deveniri potest, tum denique tota de re statuendum, interponendumque iudicium. Haec ego mecum commentatione plurima agitans conor mihi aliquam in acerbissimo casu consolationem adhibere. Si tibi hoc consolationis genere utendum putas, utere; si aliud habes, quod suggeras, mecum communices, oro. Inanes conquestiones omitte, quae pusillis scandalum plerumque creant: divinae voluntati acquiesce, quae omnia disponit sapienter et providentissime gubernat sic, ut nos ipsi cum suum omnia exitum sortita fuerint, non aliter disposita vellemus atque administrata. Spero fore ut illa quae leguntur *Ps.* 89. *Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*, usurpare tandem aliquando possimus. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

VIII. Explicatius a me scribi postulas, quod tibi proxima epistola subobscure significavi. Non enim satis intelligere te ais, ubi opinio mea perditissimis temporibus et desperatissimis rebus niti sic possit, ut mihi prope inconcussa videatur. Dicam igitur apertius. Ego Societatis causam cum Ecclesiae causa maxime coniunctam semper existimavi. Animadverti praeterea tot machinas, quantae contra nos admotae sunt, ad eversionem quidem nostram spectare, ita tamen ut eversio nostra institutis machinationibus tot ac tantis nequaquam finis esset constitutus. *Sanctuarium* peti mihi videbar prope certo coniicere, in quod omnis vis demum erumperet atque impetus effunderetur. Facile fuit has ipsas machinationes ad oppugnationem urbis transferre, atque in re militari huius ipsius rei propositam habere imaginem, quae non modo informaretur animo, sed oculis propemodum cerneretur. Non enim scalae oppido admoventur, non vineae aguntur, non arietum vis tormen-

torumque adhibetur, ut moenia tantum subruantur, sed ut moenium subversionem oppidi deditio consequatur. Haec animo proponens meo non aberrare a vero mihi videbar, si intima in istorum consilia pervadens, in *sanctuarium* non tam cogitatione, quam suspicione deferrer, quod praecipue esset istis obiectum et quod unum maxime peteretur. Itaque in hoc ipsum sanctuarium me conieci, et eo tamquam arce munitissima usus tutabar opinionem meam. Cum enim sanctissimum hoc aedificium ita constructum sit et supra firmam petram constitutum, nulla ut vi concuti et labefactari queat, et portae inferi adversus illud praevalere nequaquam possint, inde probabilem de Societatis perpetuitate coniecturam capiebam. Iamvero si tu eodem confugies, facile quid ego sentiam et qua id ratione permotus sentiam, assequeris. At, inquis, sanctuarium perstitit, et Societas eversa est. Fateor equidem perstitisse illud et laetor gaudeoque vehementer; neque tanti facio Societatem, ut prae hac aedificium a Domino ipso constitutum stare nolim: sed tamen ab insessa semel arce dimoveri non possum, nec adduci ut a sententia mea deducar, in qua permaneo, quamque illo ipso munitissimo propugnaculo tueri pergo. Societatis causam cum Ecclesiae causa coniunctam arbitror, nec video qua ratione ab eadem seiungi queat. S. Ignatius quarto addito de missionibus voto Societatem Sedi Apostolicae arctius adstrinxit, quo fiat, ut retinaculo quodam Petri navi alligata naufragium non metuat. Difficillima Ecclesiae tempora inciderunt, stetit tamen. Difficillima Societatem tempora perculerunt, ut eversa videri possit. Esto: sed ad extremum qui de lapidibus suscitare potest filios Abrahae, ex tanta ruina excitare utique Societatem poterit: utrumque aeque facile Deo est, qui ex nihilo totam hanc rerum universitatem solo nutu fecit emergere. Aut tollenda omnino illa coniunctio est, aut si aliqua vel minima ex parte coniunctio permanebit,

censeo de rebus nostris non esse omnino desperandum. Hac pia cogitatione me sustento, moeroremque meum si prorsus non tollo, allevo saltem, ut possum. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

IX. Gaudeo tibi probari coniecturam meam, laetorque aliquid solatii in tanta aegritudine tibi esse allatum: me vero alacriorem hoc ipsum facit ad quaedam quae iamdiu hac de totà re clausa in animo habeo, expromenda et tecum communicanda. His me scribendis litteris consolor et otium fallo, simulque efficio ut aliquis otii fructus constet, ne in otio omnino fuisse otiosus coarguar. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

X. Quaesisti ex me proximis litteris, utrum Clementinum Breve legerim. Ego vero neque legi, neque legam unquam: meas partes esse duxi obtemperandi, nec quidquam praeterea. Non enim mihi denunciatum fuit ut legerem, sed ut parerem. Quae iubebantur, mihi ignota esse non poterant; non deerat, qui quod exequendum esset, nomine Pontificis mandaret, itaque mihi aut inquirendi, aut percunctandi curam omnem adimeret. In maxima curarum mole, qua opprimebar, hanc quoque mihi sponte tollere, qua praegravarer, stulti profecto fuisset consilii. Quare Brevis exemplum non est cur a me exspectes, neque cur roges ut illius summam tibi perscribam. Summa nimirum haec est, ut Dei consilia prona ad terram facie veneremur, et quae acciderunt non tam humana deliberatione, quam divino nutu accidisse arbitremur. Quis enim putasset tot homines, quot se huic negotio immiscuerunt, in unam tanta conspiratione convenire potuisse sententiam?

Quam difficulter voluntates hominum in idem consentiant, non ignoras. Alii aliter de eadem re et loquuntur et sentiunt. Quos philosophos reperies, quorum una mens sit concorsque sententia? Quid concors? Imo vero discors, discrepansque. Quod unus affirmat, alter inficiatur; et saepe non alia inficiandi causa est, nisi contradicendi innata hominibus libido. Opinionibus inter se discrepantibus scholae omnes refertae sunt; lycaea omnia personant huiusmodi litibus; plena doctorum hominum aliud non alia, sed eadem de re sentientium volumina, ut illud verissimum sit et quotidiano comprobatum experimento *quot capita, tot sententiae.* Animadverte praeterea omnia ad minimum abhinc viginti annis, ne ad trigesimum relabar atque adeo ad quadragesimum annum et eo amplius regrediar; caput enim istarum turbarum ab ipsa catholica Bulla *Unigenitus* repetendum duco. Hinc initia dolorum, hinc reliqua, quae consecuta sunt, Societati nostrae non dicam infausta, sed maxime illustria et gloriosa, ut omnia ad istorum voluntatem ac prope nutum fluxerint. Ut opiniones variae et multiplices, ita eventus dubii sunt atque incerti. Ille ipse casus, qui tantopere in rebus humanis dominatur, nihil ut eo incertius sit, ad certam quamdam consilii rationem hac in re videtur accessisse. Casus certe nullus est, cum nil temere fiat, et omnia divino regantur imperio. Casum nos dicimus, cum quare aliquid eveniat ignoramus. Quamobrem noli putare a me aptam illam et connexam causarum et effectuum seriem induci, ex qua fatum existit libertati inimicum. Sed tamen, quod vix credibile videatur, sic omnia quasi quadam necessitate continuata ab initio ad extremum processerunt, ut tanta tantorumque eventuum conspiratio, tanta tamque colligata rerum vel disiunctissimarum series fortasse nunquam exstiterit. Haec sine divino consilio evenire potuisse qui sibi persuadeat, plane stoicus, qui omnia ad fatum referat, et quae fiant futurave sint, fato conti-

neri putet, existimandus est. Quod si fato locus esse non potest, nec christianus aliter atque decet de divina providentia rectissime omnia ac providentissime gubernante sentire debet, hic modus, hic terminus esto cogitationum investigationumque nostrarum; nihil ut perperam fieri putemus, nihil non divino nutu recte atque ordine regi atque administrari arbitremur. Haec si habebis proposita, non te vanae atque inanes cogitationes pervertent, de rectoque tramite deducent, et supremi Numinis deliberationibus acquiesces. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XI. Nae tu molestus es et nimis curiosus, qui sententiam de encyclica epistola, quae Clementinum Breve consecuta est, exquiras meam. In eo quo primum steti gradu certum est consistere; tu vero me inde conaris dimovere atque eo pertrahere, quo nunquam certe me a te abripi sinam. Harum rerum, quae actae sunt hactenus agunturque in posterum, una eademque ratio est, in quam si oculos animumque intenderimus, cogitationum disquisitionumque, quae nos agitat et quietos esse non sinit, turba procul absistet. Quamquam non est, cur de encyclica epistola queraris, eiusque consilium curiosius investiges. Quid enim nobis attulit incommodi, quae tantum otii, quantum nunquam cogitavimus, impertivit: quo si recte uti velimus, ad multa bona et maxime ad animi nostri perfectionem conducentia abuti possimus? At enim os obstruxit et more nostro concionandi facultatem ademit. Esto; sed os ipsum aperire coram Deo in oratione precibusque non vetuit, quocum quoties quantumque libeat libera colloquendi potestas relinquitur. At aures obseravit, ne confitentium peccata excipere possemus. Non inficior; sed aures nostrae, si recte attendis, nunquam fortasse divinis

internisque collocutionibus excipiendis patentiores esse potuerunt. Quid igitur nobis ademptum? Nihil sane. Manet nos nostra merces nequaquam imminuta; manet depositum apud eum qui potens est illud servare iustus iudex: quod ei credidimus, scimus cui credidimus, et certe non interibit. Nihil igitur nobis ademptum, immo nihil non oblatum tanta, quantam nunquam experti sumus, Dei benignitate atque adeo liberalitate. Si rem disquirere certa ratione velimus, si quid haec epistola attulit incommodi, nobis certe non attulit. Quare vanam omitte disquisitionem et nimiam de quaque re avidius cognoscendi cupiditatem compesce. Totum te Deo trade, eiusque consiliis regendum fingendumque permitte. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XII. Non ego te ad Socraticas, non ad Tullianas disputationes allego, ut aliquid inde levaminis in gravissima animi aegritudine quaeras. Nos in optima ac sanctissima disciplina educati habemus unde utilius et certius consolationem petamus. Habemus solatia Scripturarum, quae omnem ex animis nostris moerorem abstergant. Habemus documenta Evangelii, quae Spiritu Sancto dictante exarata sunt, quibus docemur nihil nisi Deo sive volente, sive permittente evenire posse, qui malum utique non permitteret, nisi, ut inquit Augustinus, *de malis bona facere nosset*. Ego vero, ut de me fatear, quasi ictus fulmine ad subitum inexspectatumque eventum haesi primum, totusque cohorrui; deinde lacrimae, deinde suspiria. Ut me collegi, quod unum licuit, (quid enim profuisset vanis conquestionibus indulgere?), supinas manus ad caelum sustuli, arcana Numinis consilia sum veneratus. Hoc idem te facere convenit eadem in schola educatum atque iisdem praeceptionibus institutum. Noli igitur angori te de-

dere, noli intemperanter conqueri; cogitato meliora, cogitato difficillima; et adversa, quae accidunt, fortiter constanterque perferto. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XIII. Tu vero eodem relaberis, unde ego te epistolis meis conor deducere. Video hoc esse ingenitum a natura ipsa, ut gravior si plaga corpori inflicta fuerit, saepe manus ad impositum vulnus relabatur. Itaque tibi ignosco, si, hac tam gravi accepta plaga, ab ea cogitationem nequeas abducere. Sed tamen vim tibi inferas oportet, et alia omnia cogites, et, quam potes, quaeras a re molesta aberrationem. Dissimili modo corporis atque animi vulnera curantur. In curatione vulneris corpori inflicti admovenda saepe manus est, ipsum vulnus tractandum, attente inspiciendum, fovendum modis omnibus. In aegritudine vero curanda, quo saepius animum ad eam retuleris, eo magis aegritudo ipsa augetur et vulnus recrudescit; hinc molestiae, moerores, angores, qui nos conficiunt, nec partem quietis capere sinunt. Aegritudinis igitur curatio duabus potissimum rebus continetur, avocatione a contemplanda molestia, et revocatione ad contemplanda ea, quae levamentum afferre possunt. Non hic ego te Epicureorum more ad haec fluxa et inania converti volo, quae animum nostrum pacare nequeunt, sed animum ipsum ad caelestia erigi, in quibus solis acquiescit animus et maxime levatur. Haec cuiusmodi sint, indicare hoc loco non est necesse, quae tecum commentari iam inde a suscepta sanctiore vivendi ratione instituisti. Haec tibi propone, haec animo agita, in haec cogitationem omnem tuam confer, et tum demum curabitur vulnus et aegritudo cessabit. Si secus feceris, recrudescet quotidie magis, nunquam obducetur cicatrix, et malignus inde humor stillabit, qui te exedat

et prorsus conficiat. Hoc providentissima divini Numinis sapientia constitutum est, ut quandoquidem pro humana infirmitate morbos sive animi sive corporis vitare non possumus, iis etiam praesto sit medicina aliqua, quae ad eos curandos adhibita pristinae nos sanitati multo certius in animi, quam in corporis morbis restituat. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XIV. Iacturam bonorum, quam passi sumus, postrema epistola tua mihi videris nimis intemperanter deplorare: ego vero, quam tu iacturam existimas, lucrum vel maximum duco, ac propterea aio cum gaudio esse suscipiendam. Sint per me licet bona divendita, sint praedia aliis attributa, sint nostrae sedes, pulsis domesticis, ab externis insessae et occupatae, sint omnia distracta, sint dissipata. Quid inde? An putas his incertis et caducis cuiusvis religiosae familiae institutum et disciplinam contineri? Magno in errore versareris, si quid huiusmodi aut persuasum haberes aut cogitares. Male profecto de religiosis ordinibus sentires, sacra si haec aedificia tam infirmis niti fundamentis arbitrareris. Praecipuum omnium ordinum idemque firmissimum fundamentum paupertas est; sublato autem fundamento, ipsum etiam corruat aedificium necesse est. Qui ordo religiosus censetur divitiis, hunc neque ordinem appellato, neque religiosum putato. Ordo ibi esse non potest, ubi quid perturbatum ac praeposterum est. Quid autem perturbatum ac praeposterum magis, quam quas reliqueris opes atque contempseris, easdem rursus appetere magnique facere, ut iis exspoliari aegre feras? Religiosum vero quo iure dixeris eorum hominum coetum, qui se in terrena haec fluxa atque caduca abiiciat? Religionis vocabulum non humanum aliquid atque humile, sed supernum quiddam, caeleste et divinum sonat.

Utinam religiosi ordines omnes in eum ordinem redigantur, unde exorbitare nequeant, adstricti sic, sive potius in eos compulsi cancellos, intra quos severa priscorum sanctorumque institutorum disciplina illos coercuit atque conclusit. Melius cum ipsis ordinibus actum foret, melius singulorum rationibus consultum, melius catholicae provisum religioni esset. Vere scriptum de illis, *nihil habentes*, eorum nimirum, quae reliquerunt, *et omnia possidentes*, quae scilicet piorum hominum, quantum satis, sufficeret liberalitas. Tunc sane et religiosa disciplina vigeret, et religiosorum precibus, quos appellamus, *saeculares*, nec non psalmodiis et divini verbi enunciatione plurimum iuvarentur. Haec generatim. Nominatim vero de nobis quid dicam? Revoca in mentem prima illa Societatis tempora, cum nostri summa rerum omnium inopia laborabant, cum tuguriis verius casisque ruinosis, quam collegiis excipiebantur, cum pedibus vel longissima itinera suscipiebant, cum nullo viatico ad ultimas usque terrarum orbis partes navigabant, cum nosocomia illis si patebant, laute excipi se ac splendide arbitrabantur: lacerae vestes, detriti calcei, curta domi supellex, foris nulla: haec,, inquam, tempora in mentem revoca, animoque crebro agita, tum haec ipsa cum iis, quae tunc ubique gentium agebantur, confer, quis tunc fervor, quam ardens, quam flammatus? Quis zelus salutis animorum! Quam acris! Quam longe lateque diffusus! nullum ut hominum genus, nullam provinciam, nationem nullam tam barbaram longeque sepositam praeteriret. Facinora porro quam egregia! Quam illustria! Quam singularia! Hos ego uberrimos fructus paupertatis in primis esse arbitror. Haec arbor in medio *Paradisi*, hoc est religionum, quae Paradisi speciem exhibent, atque adeo Paradisum illam incolentibus experiri faciunt, sata ab ipso cultore Christo Domino hos iam inde ab ipsis Ecclesiae primordiis fructus peperit. Misit apostolos Chri-

stus, ut nosti, *sine saeculo, sine pera, sine calceamentis;* nullos certos redditus assignavit, nulla certa domicilia constituit, ut statim, quo res et tempus flagitabant, nullis adstricti impedimentis properarent. Quid porro effecerint, non ignoramus. Divitiarum et opum contemptus ad se omnium oculos attraxit; homines prope e caelo delapsi, qui humana omnia pro nihilo ducerent, habiti sunt. Hac ratione persuaderi evangelium facile potuit, quod aliter suaderi ratione non potuisset. Successisse apostolis his novissimis temporibus nostros iudicare possumus; tales ac tanti, et priscorum illorum similes successus exstiterunt. Vidit hoc veterator antiquus et invidit, nihilque a se fieri, ut tantorum successuum cursum sive retardaret, sive omnino interciperet, accommodatius posse existimavit, quam ut divitiarum, quas scilicet nostri quaererent atque avidius consectarentur, opinionem disseminandam curaret. Opinionem dico, quae quidem falsa est, sed quae tamen animos hominum corripuit, in iisque penitus insedit. Haec autem nobis maxime inimica fuit, haec et divinae gloriae latius ac latius propagandae, et animorum saluti pro nostro instituto curandae vehementer infensa, incredibilia attulit detrimenta. In pestifero illo Burgifontanae conventu ad evertendam Iesu Christi Ecclesiam Satanae instinctu coacto, cum sibi quisque eorum, qui aderant, partes sumeret, quibus religio labefactaretur, illud in primis cautum fuit, ut morales Iesuitarum institutiones tamquam morum corruptrices diffamarentur, et eorumdem exaggerarentur opes atque divitiae. Primum eo spectabat, ut dehonestatis magistris abducerentur discipuli: alterum, ut divitiarum cupiditate obtenta ministeria nostra infirmarentur. Nihil enim *antievangelicum* magis, ut re ipsa est, ipsi norunt, quam opum quaerendarum studium et divini verbi enunciationem: hanc cum immoderata divitiarum cupiditate componi non posse, eiusque vim infringere ac debilitare. Vides

igitur, ut opinor, nihil exitialius ea, de qua dixi, opinione excogitari a nostris et catholicae religionis inimicis potuisse. Est autem cur nunc laetemur patefactas esse hostium machinationes, turpissimam discussam calumniam, criminationemque depulsam. *Scrutati sunt,* oblata occasione opportunissima, *omnem substantiam nostram,* effossi parietes, reclusa armaria, reserata conditoria, itum in subterranea et in intima terrae viscera penetratum, evolatum inde in summa usque tecta, loco moti imbrices, omnia quam diligentissime explorata, inspecta, investigata. Nihil inventum est, et qui iactabantur thesauri tanto studio quaesiti nusquam apparuerunt. Repertum, quod omnium oculis in cultu templorum erat expositum, quod omnes norant, nemo ignorabat, nemo, nisi oculis captus esset, non aspexerat. Fateor equidem hunc ipsum nonnullorum in principibus urbibus templorum cultum splendidum sane ac magnificum ansam calumniatoribus praebuisse, qua ab ipsis arrepta, ea de Iesuitarum divitiis commenti sunt, quae sparserunt in vulgus; inde in nos tanta, quanta nuperrime excitata est, redundavit invidia. Sed ut ad huius epistolae exordium me referam, laetandum nobis magnopere duco divitiarum calumniosam opinionem adeo divinis rationibus infestam non sine divino consilio re ipsa fuisse refutatam, obstructum esse *os loquentium iniqua, mentitam iniquitatem sibi,* et paupertati, ut confido, provisum in posterum atque consultum. Vale.

XV. Iacturam librorum quamquam iure nec immerito videris deplorare, hanc tamen querelam satis probare non possum. Divitiarum iactura facilis meo quidem iudicio fuit, tum quia hae ipsae divitiae non exstabant, tum quia si exstitissent, iure fuissent ab hominibus religiosis amovendae. Iactura vero librorum, qui subsidia necessaria doctrinae sunt, non videtur ita lente et aequo esse prorsus animo ferenda. Sed tamen, ut mihi constem, et ut ratio ipsa postulat, haec quoque a nobis est patienter toleranda. Fateor, haec res me perculit vehementer, cum tot volumina distracta vidi, dispersa, dissipata; et, quod sine stomacho scribi non potest, ad tam infimum pretium abiecta, ut singula, quod incredibile est, tribus assibus venierint. Atqui multa eorum magnificentissimis formis impressa ex ipso typographio regio Parisiensi prodierant, digna regio munere, digna quibus ob regium nomen, ob insignia regia parceretur. Multa eruditissimis margini adscriptis adnotationibus distincta, quae maiorum nostrorum in iis pervolvendis cum assiduitatem singularem, tum eximiam doctrinam testabantur. Multa quibus aut raritas, aut impressionis venustas, aut vetustatis auctoritas pretium sane exquisitum faciebant, ut vel ipsos inter antiquos Mss. codices locum cum dignitate habere possent. Mitto SS. Patres, mitto concilia, mitto interpretes bibliorum, mitto theologos, philosophos, rhetores, philologos, aliosque huiusmodi libros in omni genere doctrinarum et artium. Haec omnia distracta, divendita, divulsa atque discerpta. Quid dicam? Pudet me haec scribere, quae vera sunt, quorum tota civitas testis est. Ego ipse nostra volumina non sine gemitu prostare venalia in vilioribus librariis tabernis, atque adeo sub dio aspexi. Mihi ipsi Patavina Ciceronis editio, nitida sane et perelegans, qua tot annos usus eram,

ea si carere nolui, argenteis octo persolutis comparanda fuit, quae cum numerarem, illa statim succurrerunt; *aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus.* Ingemui enimvero cum me ad has redactum angustias, ad quas nunquam venturum putassem, devenisse vidi; nec vero hanc impensam fecissem, nisi Ciceronis lectione me iuvari summopere sentirem, non ad captandam exquisitae cuiusdam latinitatis famam, sed ad catholicam ipsam religionem defendendam. Tullium enim cum lego, non solum expressam nostrorum temporum imaginem intueri mihi videor, sed etiam ut ille reipublicae, sic ego ad catholicae religionis suscipiendum patrocinium incredibiliter inflammor. Itaque haec me iactura librorum movit, et vehementer commovit. Aegre tuli eripi nobis arma, quibus maiores nostri feliciter usi hac ipsa in re luculenta nobis exempla suppeditant, quae imitemur, quibusque hanc supplere iacturam condiscamus. An putas tantam maioribus nostris librorum copiam suppeditasse, quanta nobis? Sensim haec copia crevit, sensim accessio facta est. Librorum inopia laborasse certum est maiores nostros, quibus, quae ad victum erant necessaria, vix suppetebant. Et tamen in tanta voluminum penuria, qui viri primis illis temporibus, quanta doctrina, quanta omnium artium cognitione, quam eximii, quam praestantes, quam prorsus singulares exstiterunt? Revoca in memoriam Salmerones atque Lainios, duo illa concilii Tridentini lumina; quid doctrinae ab illis abfuit, quam certe, si copiosissima librorum supellex ad manum adfuisset, ampliorem conferre uberioremque non potuisset? Eadem ratio est de proxime consequentibus temporibus. Bellarminum nihil eorum, quae ad tantum, quantum aggressus est, opus perficiendum necessaria erant, latuisse eius volumina declarant. Nonne bibliotheca destitutus Possevinus ingenio suo atque doctrina efficere bibliothecam potuit, eamque rerum omnium scitu dignissima-

rum copia affluentiaque locupletare? Ne plura, quae innumerabilia sunt, huiusmodi exempla congeram, vides, opinor, inopiam librorum diligentia, assiduitate, labore, amicorum subsidiis levari, opibusque suppleri posse. Da mihi hominem navum, impigrum, laboriosum, communis utilitatis studiosum, catholicae religionis amore flagrantem, ut erant illi quos nominavi, aliique innumerabiles ex nostra Societate horum similes: huiusmodi hominem librorum difficultas a quovis opere suscipiendo, urgendo, perficiendoque non retardabit. Illi ipsi sancti Ecclesiae Patres ex propriis sedibus catholicae religionis causa exturbati, in exilio constituti, quam multa scripserunt, quam docte, luculenterque scripserunt? Nescio an librorum copia (et certe id subvereri subit) potius fastidium gignat, quam esuriem exstimulet. Quem prece aut pretio comparaveris librum, et avidius fere legitur et charior habetur: qui restituendus amico commodanti liber est, facit, ut quibus utaris, excerpas, scriptoque mandes, aut memoriae, ne elabantur, alte imprimas, penitusque defigas. Quare se quocumque modo res habeat, si in nobis par et voluntas et facultas, quae in illis, erit, pares in simili huiusmodi subsidiorum egestate et facultatis et voluntatis fructus exstabunt. Quae cum ita sint, nos ipsi consolemur et hanc librorum iacturam aequo animo feramus, quae et compensari potest et nostra studia ad maiorem Dei gloriam animorumque salutem incitare potius debet, quam retardare. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XVI. Qui superiore epistola ad maiorum exempla te revocavi, quorum diligentia singularis et flagrans discendi studium effecit, ut in summa librorum inopia incredibilem quamdam doctrinae copiam sibi compararent, non possum,

quin praeclarum idemque verissimum testimonium dem etiam minoribus, qui in simili egestate constituti non dissimiles maiorum suorum diligentia, studio, assiduitate se se praestiterunt. Exterminati ex tota Hispania sodales nostri et gravissima perferre exilii incommoda coacti, rebus omnibus, nedum libris, destituti, animum non desponderunt, et parem, atque illi maiores nostri sapientissimi viri, ad optima studia voluntatem contulerunt, ut si quando fieret, quod spero fore, ut in Hispaniam, rebus compositis, redirent, quam paratissimi ad omnia Societatis munia pro dignitate obeunda essent, secumque non modo doctrinam, quam secum attulerant, referrent, sed etiam quam in Italia comparassent, deferrent. Usque adeo calamitosissimis his ipsis temporibus insignia in omni genere et pietatis et doctrinae exempla requirere non possumus; quod quidem singulari Dei consilio et benignitati adscribendum puto, qui Societatem suam abiectam atque perculsam respicit, atque ad maiora quaedam, quam quae hactenus gessit, gerenda fortasse reservat. Atque hoc a me temere ne scriptum putes, ego ipse huiusce rei testis sum. Legi sermones quosdam Horatiano stilo ab Hispano quodam nostro conscriptos, cuius mihi nomen excidit, ut scribi melius et ad aurei auctoris formam pressius et castigatius non potuerint. Fratres illi duo Pignatellii, nobilissimo genere nati et columina Hispanae Societatis, quum Romam venissent, mecum de rhetoricis studiis communicare non dubitarunt, ut quod a sociis fortasse in latine scribendo minus accurate ad eam diem peccatum esset, emendaretur. Quae mihi e re fore visa sunt, iis significanda duxi, iique reduces sodalibus suis auctores fuerunt, ut se totos ad Ciceronis, Virgilii, aliorumque aetatis aureae probatissimorum auctorum, Perpiniani et Marianae exemplo, similitudinem conformarent. Atque haec mea significatio, non enim ausim dicere admonitio, salutaris maxime fuit, quod eorum scripta

ad veterum latinorum formam castigatissime exarata comprobarunt. Nam quid dicam de gravioribus disciplinis? Quanta eas Hispani nostri iuniores alacritate, quanto studio, quanta aviditate arripuerunt? Quanta diligentia, industria, assiduitate, contentione excoluerunt? Positiones illae documento sunt, quas ego legi nec satis suspicere potui, Ferrariae editae, ad disputandumque propositae. Incredibilis rerum copia cum incredibili varietate certabat. Tanta vis ingeniosissimum quemque deterruisset, in faciendoque ingenii et doctrinae periculo exanimasset. Haec tamen nostros iuvenes neque deterruit, neque exanimavit, quin intrepide in contentionis campum descenderent, in eoque propemodum exultarent. Quae enim edita fuerant, non ad pompam, ut solet, et inanem ostentationem exhibita, sed more nostro ad pugnam verumque certamen proposita. Quid de linguis loquar hebraica et graeca? Vehementer in id quoque studium laboriosum et molestiae plenissimum iuniores nostri incubuerunt. Vere scribi ad Hieronymum Lagomarsinum ab iis potuit, si quos haberet libros sive hebraicos sive graecos, ad Hispanos sodales mitteret, neque dubitaret, quin ipsis magno usui futuri essent; non deesse, qui utramque linguam probe nossent; esse vero plurimos, qui utriusque linguae intelligentiam indefesso studio urgerent, ac propterea eorum proficere lectione possent. Neque vero hoc loco abnuam testimonium quibusdam Lusitanis nostris, qui non pauca in exilio scripserunt, plane digna quae aliquando lucem aspiciant. Non defuit ex iis, qui historiam horum temporum latine sane atque egregie conscripsit. Quae tamen historia, ut puto, intercepta fuit, veritis ne quid ad posteros harum rerum emanaret. Hoc se modo extorres nostri gesserunt, quibus fortasse exilium optandum fuit, quod si eis multa commoda ademit, aliqua etiam commoda apportavit, et otium in primis quod ad bonas artes conferrent rectissimo studio. Ne vero eius-

modi exempla ab Italis nostris requiras, quibus tametsi erepti libri fuerint, aut dissipatae bibliothecae, tamen ita industria valuerunt, ea ut opera aggredi non dubitarint, quae non sine multa librorum supellectile perfici poterant. Unum Franciscum Antonium Zacchariam nostrum satis tibi notum propono, qui instar omnium esse potest. Quam multa in his ipsis, in quibus versamur, angustiis, elucubravit, quam multa etiam edidit! Illud vero raro exemplo, quod certe extra Societatem haud facile reperies, cum ei quieto et pacato animo esse non liceret, quum quotidie habendae quaestiones proponerentur, cum carcer assidue intentaretur, nobis de eius incolumitate valde anxiis, in tanto et quotidiano discrimine constitutus Apostolicorum iurium susceptam contra Febronium defensionem non intermisit. Hic enimvero germanum se Iesuitam praestitit, qui posthabita salute propria de una Apostolicae Sedis auctoritate laboravit. Conveni ego eum saepe, et scribentem inveni, et quamquam de rerum suarum exitu, quorsum evasuras putasset, incertus, tamen in proposito perstantem nunquam non vidi, et se admota ori Christi crucifixi imagine in aerumnosissima ancipitis exitus sollicitudine confirmantem, suaque omnia Deo ac Deiparae committentem suspexi. Multos ex iis ipsis, qui tibi noti sunt, proferre possem, quos tanta calamitas non perculit, sed erexit, et alacriores ad capessenda optima studia fecit, ad sibique doctrinae subsidia adiungenda, quibus, cum tempus aderit a Deo decretum, ad maiorem Dei gloriam animorumque salutem uterentur. Quare tu quoque his exemplis doctus te confirma, neque velis te otio dedere, quo nihil capitalius atque infestius communibus rationibus esse potest. Non multum aetate provectus es; non tibi ingenium acutum et perspicax, non multarum rerum et maximarum notitia, non amicorum subsidia desunt, qui commodatis libris tua studia iuvare possint. Ab ipsa adole-

scentia graecis latinisque litteris eruditus rectum doctrinae tramitem ingressus es; ab hoc noli deflectere; urge quam instituisti optimam studiorum tuorum rationem : persta in incepto, et sociorum tibi exempla proponens eo tende atque contende, quo, cum Societatem amplexus es, spectasti. Eo te digniorem Societatis alumnum probaveris, quo te in adversis constantiorem praestiteris. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XVII. Satis de calamitate Societatis universae, satis de bonorum atque librorum iactura. Sequitur gravis illa quidem ac prope iusta querimonia, de iis, quae nos propius attigerunt, et gravius feriunt et difficilius tolerantur. S. Iobus eximium patientiae documentum nobis a Deo ipso propositum amiserat agros, armenta, greges; nihil eorum quae possidebat, incendia, rapinae, caedes reliqui fecerant, et quod gravius est et malorum culmen, filiorum ac filiarum interitum luxerat. Satan vero his non contentus, quasi facilis iacturae forent, Deo permittente, ipsum Iobum aggressus est, *vulnere pessimo percussit* sic, ut *testa saniem radere et sedere in sterquilinio* cogeretur. *Pellem*, inquit, *pro pelle, et cuncta quae habet homo dabit pro anima sua, tange os eius et carnem, et tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi*. Et vero benedixit, et nequissimi veteratoris calumniam insigni patientia et post homines natos inaudita confutavit. Vides, opinor, quo mea feratur oratio, et qua potissimum ratione querelis tuis respondendum putem. Quereris enim de iis, quae consecuta sunt, quae plus minus unumquemque nostrum et affecerunt et afflixerunt. Extorres sociorum plerique e patria exulare coguntur, et gravissima exilii incommoda perferre. Hoc neque novum nostris, neque inusitatum; immo vero quasi proprium et singulare. Percurre animo annales nostros, quos te oculis

percurrisse iam puto, et plurima huiusce incommodi exempla occurrent, quae quia domestica sunt, hoc etiam te commovere vehementer debent, ut quorum secutus es Institutum, eorumdem in perferendis exilii molestiis tolerantiam imitere. Quamquam cum Societatis Institutum suscepisti, tibi sponte a patria exilium indixisti. Dicto parentibus vale, te alienis imperiis regendum permisisti, ut remigrare in patriam arbitrio tuo nequaquam posses. Durum forte tibi visum est hoc, sed propter Deum patienter ferendum: illud tibi animo proponens, omnes, quamdiu vivunt, exules esse, et eo, ubi communis patria in caelis est, spectari debere. Haec revoca in memoriam, haec tecum reputa, et fac animo erecto atque alacri sis. Neque vero quo hoc auctore factum sit, intuendum; sed sursum erigendi sunt oculi, unde omnia, quae hominibus accidunt, sive prospera sive adversa proveniunt. Hoc maxime ad rem pertinet, non minus quam ad levandum moerorem abstergendamque molestiam. Hoc maxime salutare expertus est S. Iobus, illudque usurpabat, *si bona de manu Dei suscepimus, mala quare non suscipiamus?* Mala igitur etiam a Deo, permittente illo quidem, sed volente ea a nobis, uti decet, prompto animo excipi, patienter tolerari et aequi bonique fieri, quandoquidem ab aequo et bono Domino proficiscuntur. Quae distorta in nobis sunt, hoc modo corrigi possunt, quae prava emendari, quae bona perfici. Refer te ergo ad haec exempla et ad has cogitationes: non solum tanta, quanta angeris, molestia levaberis, sed fortasse erit, ut illa usurpare possis: *Laetati sumus pro diebus, in quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala,* neque solum vidimus, sed etiam tulimus, et Deo auxilium ferente moderate et patienter tulimus. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XVIII. Si in communi infortunio, quod universam affecit et afflixit Societatem, animum ad ea, quae multo gravissima nostri passi sunt socii, contulerimus, certe quae patimur, non levia modo, sed levissima ac prope contemnenda existimabimus. Proposita enim aliena gravissima incommoda nos incredibiliter levant; non quia proprium charitatis non sit alienis incommodis commoveri, sed quia inde colligi potest, quam benigne nobiscum egerit Deus, qui quae dura perpessu et difficilia sociis intulit, a nobis removerit, nostraeque infirmitati condonarit. Hic vero se nobis primum offerunt, qui in arce Adriani detinentur, exclusi ab omni hominum communione, propriae sortis incerti, conclusi carceribus, et funestum luctuosissimae huius tragoediae exitum pavitantes. Quid simile tulimus nos, quod cum huiusmodi incommodis conferri possit? Quam aegritudinem animi nostram, quem moerorem comparabimus cum illo, qui usque eo angit animum, ut sibi acerbissima quaeque praesagiat, et quamquam eventura non sint, pavore tamen ac terrore praecipiat? Timuimos nos qui stantes in littore fluctuantium sociorum iactationem et discrimen aspeximus: quantam fuisse eorum formidinem existimabimus, qui procellae vim senserunt, naufragiumque ob oculos assidue propositum habuerunt? Et sane quam acerba tota urbe iactata sunt, quae tametsi confidere possumus fore ut Deus avertat, consentanea tamen temporibus erant! Ea puto ad eorum aures, qui carceribus detinebantur, non pervenisse; sed tamen credibile est multo acerbiora iis proposuisse animum maiorum fere malorum exspectatione sollicitum. Nam quid non formidarunt, qui se tam severe, tam arcte, tot excubiis diu noctuque vigilantibus et obambulantibus custodiri viderent? Iam vero quid est, cur ego, cur tu queramur, qui huius

amari calicis vix stillam gustavimus, cum bene multi e nostris sint, qui faecem biberint, ut aliis separatim epistolis docebo? Libet enim luctuosam hanc historiam a principio exordiri, et summatim, quantum epistolae modus patitur, exponere. Interim vero nos horum, qui una nobiscum in iisdem domiciliis vixerunt, nunc vero distracti a nobis in vinculis detinentur, exemplo confirmemus. Audio enim, et vehementer laetor, summam esse omnium moderationem, summam omnes patientiam prae se ferre, ut ob hoc summam nos Deo habere gratiam debeamus, qui servos suos respexerit, misericors vere Deus atque *adiutor in opportunitatibus, adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis.* Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XIX. Quo omnem conquestionibus omnibus aditum intercludam et me teque ad incommoda, quibus, Deo sic disponente, obnoxii sumus confirmem, placet, ut postrema epistola recepi, incommodorum seriem quae socii pertulerunt, exponere, ea si incommoda et non supplicia potius sunt appellanda. Dicam primum de sociis Goanis, de iisque, qui illis in partibus religionis causa versabantur. Horum porro quae dicam auctorem habeo omnium certissimum, hunc ipsum qui haec me dictante excipit, qui non modo ea vidit, sed etiam perpessus est. Illa, quae omnibus fuere sociis communia, ut exterminati essent a propriis domiciliis, ut obsessi a militibus aliaque huius generis praetermitto, propterea quia levia sunt, nec sane digna, quae commemorentur, si cum gravioribus conferantur. Exordiar a navigatione. Impositi uni navigio centum viginti septem socii sic in unum angustissimum locum stipati sunt, ut viventes tumulati videri potuerint et reipsa fuerint. Vetitum enim severissimo edicto, ne inde

egressus permitteretur, quoadusque navigaretur. Tanta edicti severitate non solum, sed communi periculo commotus qui navi medicus erat datus, ut navigium in altum mare processit, diserte pronunciavit, omnes certissime perituros quotquot in navi erant, si severissimo edicto illi pareretur. Prohiberi non posse, qnin e nostris contagium ad reliquos vectores omnes permanaret, quo contagio interire omnes necesse esset. Itaque aliquid de edicti severitate relaxatum, ut interdiu ex illo sepulcro egredi permissum esset, noctu vero eodem detruderentur. Atque hic cogita, quod tempus a natura quieti, ac laborum cessationi tributum est, quomodo a miseris transigeretur, qui arctissime constricti inter se cum essent alter alterum propemodum opprimeret, ut temere congesti speciem acervi exhiberent. Odorem teterrimum, aeris gravitatem, et reliqua, quae pudet scribere, per te ipse coniicere poteris. Victus vero, qui praebebatur, teterrimo domicilio prorsus erat consentaneus. Caro et pisces sale conditi, nauticus panis pessimus, et ut lineam aequinoctialem navigium attigit vermibus scatens. Quid ad hanc miseriam addi possit, ego non video, neque videre te arbitror, ut satius cito fuerit mori, quam lenta morte consumi. Et vero statim letales morbi eruperunt, et ille in primis vectoribus familiaris, qui e nostris bene multos vita privavit. Fame etiam horum nonnulli consumpti sunt; nam cum stomacho laborarent, victumque illum, quem dixi, natura respueret captumque proiiceret, deficiente quo sustentarentur alimento, interierunt. Illa porro tabes pestifera fere omnes corripuit et in summum vitae discrimen adduxit. Sustulit vero ad tres et viginti; reliquis quibus pepercit, ita non illata, ut fuerit dilata mors. Iam aerumnosa navigatio ad quintum mensem producta est; si ulterius processisset, afflixisset omnes atque enecasset. In tanta vero rerum acerbitate mire omnium enituit constantia, mire eluxit patien-

tia, ut ex illo tenebricoso gurgustio, in quo magnam temporis partem delitescere cogebantur, virtutum omnium splendidissima lux erumperet, quae reliquorum rectorum perstringeret oculos, atque animos ad sui admirationem adigeret. Nemo enim in tanto supplicio constrictus querimoniis indignabundus indulsit, nemo de rege, nemo de praesidibus questus est; una fere omnium voluntas maiora etiam, si ita Deo visum esset, tolerandi. Dixi fere omnium, quia aliquot animo fracti et tot aerumnis debilitati, ut in terram expositi sunt, missionem a Societate petierunt, quorum cum infirmitati ignosco, tum virtutem et constantiam desidero. Ad haec qui sensus sunt tui, immo vero qui nostri? Pudeat nos, iterum dicam, qui, sociis amarissimi calicis faecem prompto atque alacri animo ebibentibus, vix stillam gustavimus. Neque vero hic malorum finis; graviora supersunt, quae, quam ad te primum dabo, epistola persequar. Interim Deo, ac Deiparae me etiam atque etiam commenda, ut ita ad te scribam, ut mihi ista potissimum scribam. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XX. Confer te nunc animo ac cogitatione in latomias Lusitanas, de quibus aliquam tibi superioribus epistolis significationem dedi; et tum vero erit, cur te tui pudeat, atque adeo nos nostrum, quibus, quae levissima toleramus, gravia videntur et vix ferenda. Est arx Ulyssipone iuxta mare ad ostia Tagi contra omnes hostium impetus munitissima; turris S. Iuliani appellatur. In hac depressae in summam altitudinem custodiae sunt, in quas sceleratissimi quique coniiciuntur. Nihil ad exitum obstructius, nihil ad commorandum aerumnosius. Nullam ulla de parte lucem accipiunt; horror, foeditas, situs locum occupant, et qui infestus humanis corporibus maxime est,

stillans parietibus humor inclusos male habet, ut qui in has custodias detrusi sint, pro humatis haberi possint. Iam vero iactatis longa navigatione et vix aegre spiritum trahentibus sociis locus hic parabatur, ubi se a diuturna iactatione reficerent, atque ab aerumnosissima navigatione recrearent. Nam portum ulyssiponensem ingressi et quarto die e navigio egressi nomina quisque sua edere iussi sunt; tum, quos visum est, secretis, advenae ad unum omnes cum aliquot Lusitanis, nulla mora, nulla habita quaestione, ad quas dixi custodias deducuntur, in easque coniecti includuntur. Quem tunc animum miserorum? quos sensus? quas cogitationes fuisse existimabimus, quos tanta calamitas post tot acerbitates toleratas praeter omnem expectationem excipiebat? Hoc malo tua in opinione relinquere, quam in oratione mea ponere. Verba enim mihi satis idonea non suppetunt, quibus tantam tantae rei atrocitatem immanitatemque declarem. Illud potius ad commune documentum cogitare libet atque animadvertere, quanta fuerit omnium moderatio, quanta tolerantia, quantum Deo de se ita duriter constituente praestitum ab omnibus obsequium. Neque vero hoc in teterrimo carcere ad dies, ad menses, ad annum sociorum commoratio fuit producta, sed ii ipsi, qui tandem aliquando lucem aspexerunt, in illis tenebricosis latibulis sex et eo amplius annos traducere coacti sunt. Reliqui adhuc horribili custodia septi tenentur, quorum nonnulli iam inde ab initio harum vicissitudinum in easdem custodias traditi, si adhuc vivunt, quod incertum est, aerumnosissimi carceris decem et septem annos numerare dicuntur. Iam vero quae necessario consequi debebant incommodissimam stationem incommoda tute, opinor, vides, et quivis facile coniicere per se potest, ut Germanus nescio quis ex illis ad amicum scripserit, res mira! *Putrescunt vestes, non putrescunt corpora.* Hic ipse, qui haec ipsa me dictante scribit, annos sex et men-

sem cum dimidio in infelicissima statione detentus, de eadem summa aequitate animi loquitur, perinde quasi non de suis, sed de alienis loqueretur incommodis. Haec scribere pro sua modestia renuentem, adegi, ut scriberet, quo testatiora haec ipsa forent quae ab eo ipso, qui ea passus esset didicissem, certissimumque tum mihi, tum tibi patientiae proponerem documentum; mihi vero in primis, qui quem olim discipulum in rhetoricae palaestra habuerim, nunc in Christi schola magistrum habeam. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXI. Singularia ac plane insignia cum mihi, tum tibi ad imitandum patientiae documenta proposui. Sed tamen sunt alia maiora. Vide nunc quo Christi charitas progrediatur; eo nimirum, quo ulterius auctore ipso Christo Reparatore nostro progredi non possit. In illas, quas dixi latomias, coniectus est Franciscus Xaverius Camerinus, meus olim, cum Romae rhetoricam traderem, discipulus, a quo cum ipse quaesissem, quod vitae genus esset amplexurus, Indias se cogitare rospondit, deliberatumque sibi esse S. Francisci Xaverii, cuius nomine insignitus erat, vestigia persequi. Et vero Societati nomen dedit, et statim ab inita Societate in Indias profectus est. Inde in Lusitaniam cum Goanis sociis regressus aerumnosissima navigationis incommoda, molestiasque sustinuit. Quo loco praetermittendum non est quanta ediderit eximiae charitatis exempla. Nam cum ei aegrotantium cura obtigisset, non diligentiae, non labori, non contentioni ulli pepercit sic, ut plures noctes insomnes duxerit, et vix partem ullam quietis ceperit, assidue discurrens hac illac alacer ad omnia ac promptus quae necessitas postularet. Ipse mihi miratum esse se atque habuisse prodigio affirmavit quomodo aut laborum mole oppressus non cesserit,

aut vigiliarum frequentia de mente non fuerit deturbatus. Huic singulari plane assiduitati atque adeo eximiae charitati omnes ad unum Socii, et hic ipse, qui haec scribit, dederunt verissimum testimonium. Hic igitur illi, quem dixi, tenebricosissimo atque infelicissimo carceri mancipatus, incredibiles molestias, quae ab ea commoratione seiungi non poterant, patientissime toleravit. His accessit ut senem morbo atque annis confectum carceris socium habuerit, cui ea praestitit officia, quae infantibus praestari a nutricibus solent; plura non addo, neque distinctius persequor, ne nimium iniucunditatis habeat epistola et nauseam legentibus creet. Hoc sane magnum charitatis documentum; sed est aliud longe maius, quo eius charitas eo usque progressa est, quo ulterius, ut dixi, non potest evadere. Nam cum aliqua libertatis spes nescio quomodo in illis tenebris affulsisset, fore nimirum, ut e custodia alieni educerentur, in eam deliberationem venit, voto se obstringendi, oblata uni e sociis libertate, se perpetuo carceri addicendum tradere. Verum re cum ipsis communicata minimeque probata, divinae eam Providentiae, ut ipsa de se ac de sociis statueret quod visum esset, regendam explicandamque permisit. Fore enim eius rei exitum non sine causa iudicatum de communi sententia, ut omnes tenerentur, nemo educeretur. Itaque eductus e custodia Romam venit et in Collegio Romano plures annos grammaticam docuit, tanta diligentia atque assiduitate, ut eius muneris partes omnes expleverit, omniumque in se admirationem concitaverit, quomodo tot fractus laboribus, tot conflictatus incommodis, tot attritus aerumnis tantum laborem, quantum non ipsum solum munus secum afferebat, sed ipse etiam sibi ultro deposcebat, sustinere potuerit. Verum his non contentus, nactus occasionem iterum transmittendi maria, seque totum proximorum saluti devovendi, cepit consilium, quod nonnisi a summa ac

flagrantissima charitate proficisci poterat. Itaque duce P. Vigliano, qui Tunchinensis *Missionis* causa Romam venerat, una cum aliquot eiusdem praeclarae expeditionis sociis in eam remotissimam regionem profectus est. Utrum eo pervenerit, nescio, nunc prorsus interciso omni litterarum commercio. Non dubito tamen, quin omnes eo pervenerint, quo tam pia de causa arduum maxime iter instituerunt; quo itinere sibi maxime cavendum esse a Lusitanis affirmabant, quorum manus si effugissent, nihil propemodum de reliquis casibus, qui longissimis navigationibus infesti esse solent laborandum videretur. Camerino vero nostro mihi videor augurari martyrium ulla prope sine dubitatione posse; charitati apprime consentaneum foret. Habes, uti vides, immo vero habemus calamitosissimis his temporibus in hoc uno eximia, quae imitemur, exempla; habemus etiam unde nos consolemur et confidere possimus non omnino destitutum iri a Deo Societatem, cui pro sua singulari clementia, tot impertit et documenta et incitamenta virtutum. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXII. Fortasse illa subit cupiditas sciscitandi, quid actum sit de sociis, quorum non exiguus numerus, reliquis libertate insperato donatis, in carceribus Lusitanis retentus est. Narrabo rem, ut narratam accepi a Lusitano, qui, eum aeta res est, Ulyssipone morabatur. Edita Romae proscriptione nostra et in Lusitaniam perlata, nihil prius curandum, quorum ea res maxime intererat, existimarunt, quam ut Pontificium Breve nostris captivis notum fieret. Itaque omnes captivi e carceribus educti sunt. Prodierunt impexo capillo, prolixa barba, laceris vestibus, cadavera verius e tumulis excitata, quam homines ad concionem acciti. Constituuntur longo ordine aperto

loco; spectaculum enim vero acerbum, luctuosum, et omnibus adstantibus miserandum. Stare iubentur ; iussi steterunt, incerti quid hoc rei esset, et quo novitas tam inusitata spectaret. Tum edita voce Breve Pontificium legitur, et interminationes Pontificiae Brevi parere renuentibus intentantur. Absoluta lectione tamquam icti fulmine omnes ad unum , eodemque momento temporis procubuerunt in genua et prono in terram vultu paulum substiterunt; tum genibus subnixi supinas ad caelum sustulerunt manus, non solum non ausi quidquam contradicere , sed ne hiscere quidem; atque his, quae dixi, editis signis, divinam se obsequenti animo acceptare voluntatem satis declararunt. Non dubito quin omnes postremum hunc luctuosae huius tragoediae actum futurum crediderint, seque libertate donandos existimarint , quandoquidem res suum ad exitum deducta erat, nihil ut ultra addi posse videretur. Neque vero dubito , quin tu idem sentias , quin nemo non idem sensurus sit , qui omnem humanitatem non exuerit. Sed nobis videlicet, iusto Dei iudicio, re confecta, novus rerum ordo exoriebatur , illis vero nova calamitatum series instituebatur. Itaque miseris iterum iniiciuntur vincula, iterum deducuntur ad carceres, iterum in eosdem coniiciuntur, ut satius fuisset ab his ad tam breve tempus ea praesertim de causa non educi , quam eodem accepto tam gravi nuncio reduci. Accessit tamquam cumulus miseriarum, quod, si recte memini, de eodem narratore accepi, spem omnem libertatis fuisse praecisam , perpetuumque omnibus carcerem denunciatum. Hic vero lacrimas tenere quis possit? quis tantam aerumnam pro dignitate oratione persequi? quis satis conqueri? quis satis queat tantam miseriam, calamitatemque lamentari ? Tantumne facinus , tam atrox, tam immane perpetratum a miseris , ut , omni spe veniae sublata , toto vitae tempore luendum fuerit , nec dignum habitum , de quo reus interrogaretur , citarentur

testes, producerentur, aliqua denique si non quaestio institueretur, saltem aliqua quaestionis species obtenderetur? sed hucusque licet; non est cur ulterius progrediamur, ne forte aut hominibus odiosi aut Divino Numini parum obsequentes videamur. Imitemur potius captivos nostros, procidamus in genua, prono in terram capite divina consilia veneremur; tollamus in caelum manus, et quidquid illinc ad nos sive nostra culpa sive secus, sive noxii simus sive innoxii, proficiscitur, prompto atque alacri animo excipiamus. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXIII. Quandoquidem de sociorum in adversis moderatione ac singulari patientia scribere institui, et me, teque ad easdem virtutes cohortari, sua laus Hispanis sociis non videtur deneganda, quorum longe maxima pars ita se gessit, ut et exemplo proponi et incitamento nobis esse possit. Exterminati ex tota Hispania et navigiis impositi eo appellere iussi sunt, unde repulsi in ipsis portubus longam et molestiorem omni tempestate malaciam sustinuerunt. Multos menses fuere in anchoris, pedem efferre e navibus non licebat, et communis arenae aditu prohibebantur. Nulla terrarum ora miseris patebat, incerti quo tandem exponerentur. In his angustiis mire enituit omnium patientia, et probrosam repulsam aequo animo tulerunt. Tandem post diuturnas deliberationes in oram Corsicae pessimam et egentissimam egredi permissi sunt, ut difficile sit iudicatu, utrum navium incommoda diutius tolerare praestaret, an ibi esse ubi omnia deessent. Habitare in mapalibus, in tuguriis, in casis ruinosis, ac prope sub dio coacti sunt; in ipsis denique stabulis iumentorum comites degere, ac figere domicilium. Victus aridus, et reliqua infausto hospitio consentanea. Longum esset

commemorare incommoda quae passi sunt, quae inops insula ac ieiuna iis affatim subministrabat. Multos quidem defecit tolerantia, missionemque a Societate petierunt; sed multo plures constantissime in statione perstiterunt et se dignos Societatis alumnos probarunt. Atque hi quidem *testimonio fidei probati* digni sunt, quorum ex semine iterum Societas ad maiorem Dei gloriam, animarumque salutem propagetur. Interea nos, quod datur, teneamus; proficiamus tam singularibus exemplis, quae quidem cum his temporibus nostris accommodata maxime sunt, tum curandum maxime est, ne nobis frustra sint a Deo suppeditata Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXIV. Non dubito, quin magnum tibi superiores epistolae attulerint documentum; non dubito, quin et incitamentum. Nunc vero mecum verecundare virilem in puerili pectore virtutem suspiciens. Quid a tironibus Bononiensibus actum sit non tu quidem nunc cognosce, nihil enim tota Italia illustrius fuit, sed recognosce, sive potius, quae nuncii litteraeque attulerunt, tecum ipse reputa. Deus immortalis! Quae fortitudo! Quae pietas in Societatem! Quae gravitas in verbis! Quae moderatio in factis! Quae in optima causa constantia! Promissa contempserunt, suasiones repulerunt, minis restiterunt. Non eos movit auctoritas, non flexit aspectus aliter ac deceret cohortantium, obfirmati in eo, ut quod amplexi fuerant Institutum, illi quam arctissime adhaererent. Quid multa? Ad vim adversarios adegerunt, cui resistere cum non possent, cesserunt quidem inviti, sed in eo illustrem de ipsis victoriam reportarunt. Iam vero tantum robur in adolescentibus, tanta animi firmitas in imbecilla aetate, tanta in adversis tolerantia, nonne nostra reprehensio est? Do-

cemur ab his, quae doceri a nobis ipsi debuissent, quaeque a veteranis petenda essent, ea veterani a tironibus petere cogimur exempla virtutum. Nos igitur qui tam facile frangimur, nostrae imbecillitatis pudeat, pudeat in palaestra Societatis a iunioribus superari, qui in ipso aditu religiosae militiae in primo acerrimo congressu ita se praestiterunt, ac si plurima in ea stipendia fecissent. Quid? Parumne ad exemplum, parum ad documentum, ad incitamentum parum haec valere existimabimus, quae tanto acrioribus stimulis incitare segnitiem nostram debent, quanto hi ipsi nobis stimuli ab imbecilliore aetate admoventur? Quid vero ad posteritatis memoriam, quae de tam egregio facinore nunquam conticescet, de quo nullae litterae non loquentur, quod ubique gentium praedicabitur? Quid denique ad Societatis universae vindicationem? Atque hi quidem mihi videntur communem causam et suscepisse et egisse et obtinuisse, quibus defensoribus contenta Societas esse potest, nec alterius generis patronos necesse habet requirere. Si vero ex hoc tam illustri facto futurorum eventum coniicere placet, vides profecto quam nos res tanta meliorum spe rerum consoletur. Seniores illi ab optimo poeta inducti non potuerunt, quin cum iis duo oblati sunt eximiae indolis et praestantissimae virtutis adolescentes, in desperatissimis rebus fieri non posse iudicarent, ut a superis desererentur, quandoquidem, *tales animos, et tam certa tulissent pectora,* et in summo discrimine constitutis obtulissent. Ignosce, quaeso, si ad veterem relabor artem iamdiu intermissam, mihique a memetipso interdictam. Quamquam hoc non abhorret a consuetudine sanctorum virorum, Hieronymi praesertim sanctissimi et doctissimi viri, qui scripta sua et epistolas huiusmodi veluti floribus perspergere non alienum a gravitate sua duxit. Sed quam in partem hoc accepturus sis, non moror. Illud certum est, tantam virtutem, tametsi vi qua-

dam turbulentissimae tempestatis oppressa fieri tamen non posse, quin emergat iterum, et efflorescat. Hoc tu quoque usus argumento spe meliorum temporum te consoleris, et tantam tibi virtutem proponens ad eam imitatione assequendam non dubito quin te sentias incredibiliter adiuvari. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXV. Video res tantas brevi epistolarum modo circumscribi non posse; plura requirunt volumina, quae Deo favente non dubito quin a doctis et idoneis scriptoribus conficiantur. Neque enim hoc saeculo acta ulla res est, in qua et luculentius et copiosius versari possit historia. Sed hoc alii viderint; tanta res neque ingenii mei, neque huius aetatis, neque vero meae religionis, quae delicatior nihil magis vitandum censet, quam ut ne quemquam offendat. Inoffenso autem pede historia haec percurri vix potest, si multa nolis dissimulare, quae ad rerum summam pertinent, nec a veridico historico praeteriri videntur posse. Verum ut ad institutum redeam quod eo spectat, ut tantummodo tua in aegritudine te consoler, et quantum scribendo assequi possum, propositis sociorum exemplis, confirmem, vides, opinor, res Divina Bonitate ita temperatas, ut in summo infortunio multa sint quae quovis pretio fuissent emenda, a Deo autem nobis insperantibus et ne cogitantibus quidem oblata. Sinamus igitur alios alio modo lubrico hoc in argumento versari; nos vero ultro citroque mittendis et accipiendis epistolis nos invicem consolemur, missa querelarum importunitate, quae Deo et hominibus odiosa esse solet, praesertim si immodica est, et cum vel minima cuiusquam offensione coniuncta. Vale.

XXVI. Pro summa atque incredibili rerum scribendarum copia, quandoquidem in singulis immorari non licet, illud generatim atque universe subtexam, quod verissimum est et certissimo argumento confirmatur. Si unquam alias, his certe difficillimis temporibus omnium enituit singularis plane atque admirabilis constantia. Perstitimus in statione usque ad extremum; ut nos in ipsa exequendorum munerum nostrorum functione calamitas oppresserit. Patebat ad egressum omnibus religiosis ordinibus ianua, nobis vero multo fuisset patentior, si oblata uti facultate voluissemus. Prodibant catervatim omnium ordinum alumni; e nostris vero, si dicam prope neminem stationem deseruisse, dicam quod verum est, quod non sine admiratione vulgo et passim animadversum. E iunioribus defecerunt nonnulli; sed hoc in Societate neque novum, neque inusitatum; sed non maiori, quam solebat numero, sed minori fortasse. Aliquot ex Hispanis item fracti calamitate, sed non admodum multi. Et vero non defuerunt hortatores, impulsoresque, quibus, quam gerebant, personae sanctitas et gravitas alios profecto sensus suggerere debuissent. Auctores enim erant, ut a nobis turpiter abiicerentur arma, neque exspectandum donec invitis extorquerentur. Sed non ad hoc instituti atque edocti nos eramus, ut iniussu supremi Imperatoris, cui fides nostra iureiurando obstricta fuerat, proiectis armis fugam capesseremus. Deo bene iuvante stetimus, obstitimus, restitimus, boni profecto milites, qui transfugae a Iesu signis ad alia transfugere castra noluimus. Cessimus quidem vi, sed ei cui resisti non poterat; quantum in nobis fuit, nihil commisimus, quod iure reprehendi posset, immo vero quod non iure foret meritoque laudandum. Accessit et alia a consanguineis multo vehementior oppugnatio. Atque hi qui-

dem bona fide egerunt, ignari videlicet militiae nostrae, et humano consilio divina metientes, quibus ignoscendum arbitror. Pacta nostra, conventa, nuncupata toties Deo vota non eo, quo decebat, momento pensitantes id unum cogitabant, ut nostrae securitati tranquillitatique consulerent. Quam multae ad nostros litterae pervenerunt amoris plenissimae, quibus reclusi paterni lares ostendebantur; obsecrabatur, ut eo unde discesserant, reverterentur. His ita responsum, ut epistolae non a carne et sanguine dictatae, sed a Divino Spiritu profectae, eiusque instinctu exaratae iudicari merito possent. Ita admotis ab humanae salutis inimico duabus potentissimis machinis labefactata sociorum constantia non est. Quid? quod haec ipsa, quae in plerisque nunc cernitur Societati adhaesio, parumne valere ad communem commendationem ac laudem debet? Atque haec quidem propria ac singularis nostrae Societatis semper fuit. Nemo enim fere vel eorum, qui Societatem reliquerunt, Societati infensus exstitit. Ego sane novi plures, quos te quoque nosse arbitror, qui eam unice diligunt, ei favent, eius laudes ubique depraedicant, nec vero dum eam laudant, susceptum a se consilium vituperare non dubitant, ut Societatem non reliquisse, sed eius tantum indumenta deposuisse videantur. Quod honestissimum de Societate certissimumque testimonium est, contra atque in reliquis usu ordinibus venire solet, quorum desertores absolvi se putant, dum ordinem damnant. Haec vero pia nostrorum hominum voluntas animique propensio in matrem, si unquam alias enituit, enitet quotidie magis, quae nobis tanto charior, quanto, ut inquit Hieronymus ad aliud institutum, vilior, quanto gravioribus affecta et afflicta calamitatibus. Haec qui cogitet, qui secum reputet, nonne a summo moerore ad consolationem, a desperatione ad spem revocabitur? Ego ita loquor, ut sentio, ita sentio ut sum expertus; multa nos mala op-

presserunt, sed haec ipsa tot rerum secundarum et multitudine et magnitudine obruuntur. Secundas porro etiam eas res dico, quae mundus, qui recte loqui nunquam didicit, noxias, infestas, adversas appellat. Vale.

Iosephus Marianus Parthenius — Eidem S. P. D.

XXVII. Dubitari sane aliqua ratione potest, utrum, quod accidit, optandum nobis expetendumque fuerit, an secus. Dixi *aliqua ratione*; propterea quia etsi nonnullarum rerum optanda causa non sit, tamen, quod ex ea consequitur, expeti interdum potest. Mittamus igitur causam, de qua disputationem instituere nolo, et ea tantum, quae consecuta sunt, ut hactenus fecimus, consideremus. In tanta calumniae licentia, quantam passi sumus, quomodo innocentia nostra fieri manifesta atque aperta, nisi tam insigni importata calamitate poterat? Ego sane non alia via existimo; ab ipsa enim calamitate certissimum accepit verissimumque innocentia testimonium. Ea negligo et contemno, quae iactata in vulgus sunt de coniurationibus. Inepta sunt, insulsa sunt, ridenda sunt. Nemo sanus non videt huiusmodi esse, quae ne pecudibus quidem, si rationis particulam haberent, persuaderentur. Verum praeter haec, alia quaedam erant, quibus bona Societatis existimatio laedebatur. Haec porro ita diluta esse arbitror, ut ne iudiciaria quidem instituta ratione dilui evidentius ac confutari possent. Ubique terrarum hoc nos infortunium nec opinantes oppressit, nec nisi cum sensimus, eo nos oppressos credidimus. Improvidentissimi quidem hoc animi fuit, non solum non futura coniicientis, sed ne praesentia quidem cernentis. Sed tamen haec imprudentia ita omnium animos corripuit, atque obcaecavit, ut quod accidit, improviso nobis et praeter omnem exspectationem ac propemodum cogitationem evenerit. Hinc interceptae

litterae, scripta omnia aversa, diligenter excussa ac severe examinata. Quid? quod ipsa tabularia in manus adversariorum venerunt. Ipsi certe tantam opportunitatem sibi offerendam nunquam putassent, quantam iis oscitantia nostra sponte detulit. Haec sine divino consilio evenire non potuisse arbitror. Neque enim tam improvida, stolida, vecordia Iesuitarum pectora ego credidi, neque vero quisquam facile in animum inducere poterit, ut credat. Hac nimirum ratione testatum Deus esse voluit nostrae integritatem sanctitatemque vitae, ipsis testimonium ferentibus adversariis, qui quidem si quid invenissent quo oppugnari ea posset, illud profecto evulgare, iactare, tota disseminare Europa non omisissent. Quod cum actum ab ipsis non sit, necessario consequitur, nihil esse repertum, quod obiici vere nobis posset. Iam vero potuitne certius, potuitne apertius, potuitne evidentius communis ostendi, confirmari, demonstrari innocentia? Hanc ego sane apotheosim quamdam Societatis esse iudico, cui nihil optatius evenire hac ipsa calamitate potuit. Divinae igitur providentiae admiremur consilium, quae hac singulari ratione et famae nostrae providit, et inimicorum machinamenta disiecit. Ipso adversariorum silentio instituta, acta, perorata causa est, quae longa ac diserta oratione obtineri non potuisset. Nam cuius tantum flumen ingenii, quae tanta vis, quae copia eloquentiae esse poterat, qua tot ac tanta, tam inveterata, tam longe lateque diffusa calumniarum genera obruerentur? Unum silentium rem hanc prope incredibilem confecit; unum instar omnium actionum fuit; unum iudiciariam quasi formam ac quaestionem instituit, unum obiecta crimina discussit, unum sententiam tulit, unum absolvit. Quid vis amplius, quid exoptas, quid requiris? Ego sane non video, quid optandum praeterea, requirendumque sit. Maximas igitur Deo agamus gratias, immortales habeamus, discamus ex hoc quantum de providentissima Dei ra-

tione in desperatissimis etiam rebus confidere et possimus et debeamus. Vale. Facile haec ipsa, quae scripsimus, ad infinitas, quae iactatae sunt, divitias transferre per te poteris, quae nullae repertae sunt, et idem admirari divinum, ut in reliquis rebus, quae consulto praetereo, consilium. Iterum vale.

Hactenus his scribendis litteris communem aegritudinem ex acerbissima et luctuosissima calamitate susceptum lenire conatus sum. Verum, quod mirandum est, et praeter consuetudinem accidit, quod tempus levare aegritudinem solet, hanc in Mariano fratre graviorem effecit. Id ego causae esse puto, quod magnarum calamitatum proprium est, ut, cum primum adveniunt, repentino casu animum percellant quidem, sed quodammodo stupidum faciant, ut non satis ad illa, quae calamitatem ipsam comitantur ex eaque consequuntur, advertat; sibi vero redditus, et ex primo illo stupore quasi sopore expergefactus, quod fit processu temporis, in calamitatem intendens, eamque in dies magis ac magis cogitatione pervadens vehementius angatur. Certe epistolae, quas duos post annos ab illato infortunio ad me scripsit, plenae angoris fuerunt sic, ut eum meis amplius epistolis provocare ad scribendum ausus non fuerim, ne, dum accepto gravissimo vulneri mederi conarer, vulnus ipsum refricando exasperarem. Facta ei statim, recenti infortunio, ab Episcopo amplissima potestate concionandi, quoties et ubi liberet, et quorum vellet, vel monialium, confessiones, nulla iuris contractione, et vero etiam ex ipsa sella, in qua tot annos iu templo nostro sederat, excipiendi; quod tota Insubria exemplo caruit, et summam, qua florebat viri sancti aeque ac docti, existimationem declaravit, aliquantum re-

creari visus est. Nonnihil ego quoque ad eius animum relevandum meo hoc literarum officio contuli; sed postmodum ita concidit, ut amplius relevari non potuerit. Totus animo ac mente in rerum aeternarum cogitatione defixus, nulli solatio, quod angorem levaret, locum dedit; qui sic eius occupavit et contraxit animum, ut reliquum vitae tempus in sollicita impendentis dubiae atque ancipitis aeternitatis exspectatione transegerit. Hoc tempore, quas ad me scripsit epistolas, tam refertae luctus erant ac moeroris, ut eas legere sine lacrimis nequaquam possem. Deum sic statuisse arbitror, quo illum *tamquam aurum in fornace probaret,* penitusque, quod forte inerat vitii, decoqueret, illumque puriorem defaecatioremque ad se reciperet. Reddita demum paulo ante obitum insperato animi tranquillitate, sic ad eum se comparavit, ut sanctissime ac placidissime decesserit Comi die XXIX Ianuarii anno MDCCLXXVIII. Ceterum ut nonnulla de eius ingenio ac doctrina his epistolis attigi, multo plura de eius eximia sanctitate persequi possem, quod separato commentariolo, si vita suppeditabit, et tempus et otium dabitur, faciam.



INDEX

LIBER PRIMUS

LIBER SECUNDUS

LIBER TERTIUS

LIBER QUARTUS

LIBER QUINTUS

LIBER SEXTUS

Pag.	*Lin.*	*Pro*	*Lege*
9.	13.	ab omni ordine prosequor	omnis me ordo prosequitur
19.	14.	descendebant	non descendebant
21.	30.	consulitur	suadetur
28.	16.	consulenda	suadenda
39.	26.	devintus	devinctus
54.	17.	mearum	meorum
60.	17.	loboras	laboras
87.	25.	edico	edicto
123.	6.	datis	doctis
166.	24.	me	mihi

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A.
Magister

IMPRIMATUR

Petrus Castellacci-Villanova Archiep. Petren. Vicesg.



